

PRAEFAMEN.

EQui Terentium Varronem, vt sarcinas colligat, monuit annus, non solum mihi eiusdem rei monitor fuit, et nunc, dum primum supra illum superaui, vere est; sed simul, vt, quae restent inter meas scriptiunculas, rei medicae fructuosas a me habitas, publico offeram, et exponam, quemadmodum ille Fundaniae suae agriculturae praecepta exposuit.

Restat autem Dissertatio de Febre miliari, quae Purpura alba nuncupatur: de qua quidem celeberrimi viri non pauci doctissime disseruerunt; mira tamen et infi-

nita discrepantia. Hic enim miasma venenosum constituit causam morbi huius deleterii: alius serum sanguinis acre vel acidum. Hic malum hystericum morbo adesse negat, antihystericis tamen remediis cum fructu vtitur. Alius antihysterica remedia causam purpurae albae in puerperis habet. Alii periculosissimus est morbus sollicite tractandus. Alter eius sollicitam curam gerendam esse negat. Quanta discrepantia in febre adeo sontica!

Nihilominus, licenter, audax, numerum auxi, et discrepantiae meae summam, nuper in Acta noua Physico-medica Nat. Cur. inserendam, ad praelibandum tradidi. Reliqua de hoc morbo, in ordinem quendam congesta, accipe nunc Lector, et an in publicum commodum valeant, iudica; et, si forsan, iis vtere, et vale. Si non, proba voluntatem, et iterum vale.





SCIAGRAPHIA TRACTATVS

DE

FIBRE MILIARI, PVRPVRA ALBA DICTA

IOHANNIS BERNHARDI DE FISCHER,

RVSSIARVM QVONDAM ARCHIATRI, ET IMPERATRICIS ANNAE PERSONAE MEDICI.



§. 1. *Praefamen.* Octogesimum aetatis annum agens Terentium Varronem imitatus sum, qui hoc aetatis anno sarcinas colligendas esse putauit, et ideo, quae habuit agriculturae praecepta Fundaniae suae reliquit. Ita, quae habeo inter scriptiunculas meas, reliquas, olim fructuosas a me habitas, publico offerendas esse puto. Praemitto autem nunc eo lubentius de hoc opusculo hanc Sciagraphiam, eodem modo, quo secundae editioni Erfordiensi Tractatus mei de Senio illam praemisi, quia obseruaui hac methodo etiam vsum fuisse Auctorem quendam Anglum, in menstruis illis relationibus, *Gentlemans Magazin* dictis, Anni 1764. mense . . . hoc titulo: Account of a Pamphlet, entitled, Short Obseruation etc. by an impartial Enquirer. Rectissime ibi laudatur illa ab Auctore ipso, de libello suo data recensio, vt recensori, vel compilatori extraneo labor leuetur, et vt hac ratione fideliter omne contentum libri exponatur, quin oscitantiae praecaueatur, ne ex hac natus peruer-

 sus

ſus ſenſus Publico communicetur, vel omni modo iniqua detur recenſio: non enim haec adeo Auctoris ferit famam, quam Bibliopolae impenſas, et Publici confidentiam deluſam.

§. 2. Mira diſcrepantia Auctorum, de cauſa et therapia huius febris.

§. 3. Ideo numerum audacter auxi.

Cap. I.

De veſiculis miliaribus abſque febre.

§. 1. In harum cenſum numero veſiculas illas cryſtallinas infantum neonatorum, *Flos cutis*, appellatas, dum nullo ſymptomate febrili adfecti deprehenduntur. Quae inſequuntur has veſiculas eminentiae nerueae, comedones adpellatae, et ſub vermiculorum forma apud *Ettmüllerum* pictae, et

§. 2. Ob pruritum, melle, fecibus cereuiſiae, ſuligine elicitae, et nouacula amputatae, ſub veſiculis iſtis, ſeu flore cutis ſunt enatae.

§. 3. Pictorum fallax, arbitraria manus in pingendis rebus naturalibus, per exempla ex Actis Nat. Cur. et ex Collect. Vratislav. affertur.

§. 4. Quae melle etc. extricantur corpuſcula nigra, difformia, crinibus minuſculis hirſuta, vermiculis tota ſunt diſſimilia.

§. 5.

§. 5. Excretio miliaris naſcitur ex neruis per balneum a muco liberatis, ſuccum ſuum in miliares veſiculas exhalantibus.

§. 6. Sub hac excretione ſyſtema neruoſum grauiter interdum afficitur, cum tetano oris.

§. 7. Veſiculae miliares in manu, ex applicato magmate ſaponaceo.

§. 8. In fronte, ex emplaſtro de Tacamahaca.

§. 9. In femina nephritica, cum dolore iſchiadico.

§. 10. 11. In femina, poſt abortum trigeminorum, cui, morbo exantlato, eminentiae, comedonibus, et crinonibus infantum ſimiles, in brachiis aderant.

§. 12. Ex Eph. Nat. Cur. Vol. X. allegatur Matrona, in qua, poſt milia, et mortem, apices nigrae, non ſecus, ac puluere pyrio accenſae apparuerunt.

§. 13. Saepius talia accidere poſſunt, ſi inquiretur.

§. 14. Purpura rubra, abſque febre, feminae tenerae per ſaltationem excitata.

§. 15. Milia ope fumi ſuccini ad methodum Medicorum Polonorum extricata.

§. 16. Febris miliaris, purpura alba diuiditur in idiopathicam et ſymptomaticam, ideo puerperarum aperte ſymptomatica primo exhibetur.

CAP. II.

§. 1. Locatur primo mater illa trigeminorum per abortum.

§. 2. Puerpera in quinto puerperio illis laborans, cum grauibus hyſtericis ſymptomatibus, ſanata.

§. 3. Primipera, poſt varia ſymptomata, inprimis frigoris interni ſenſum, mortua.

§. 4. Puerpera, cui poſt moleſtam veſicae exonerationem, reiecto regimine diaphoretico, ſub frigidiuſculo aëre, regimen diureticum adhibetur, et aegra, ſpatio viginti quatuor horarum, octodecim menſuras aquae frigidae bibit, et reddidit; miliis frictione ſuccinata, et lotione cum aqua calida elicitis. Iudaeis ſolennis dicitur morbus.

§. 5. Puerpera, eadem fere methodo curata, cum tumore in hypochondrio.

§ 6. Puerpera diaphoreticis tractata, et antihyſtericis, ab admiſſione aëris mortua.

§. 7. Puerpera conuulſione vniuerſali correpta, ſcarificationibus, aliisque mediis poſt biduum euigilata, tandem conualeſcens, ſphacelata in natibus.

§. 8. Puerpera ad methodum ſudoriferam, cum multis antihyſtericis, e. g. ſucco ſtercoris equini tractata, conualuit.

§. 9.

§. 9. Primipara miliis copiosissime, ad extremitates digitorum vsque laborans, obiit. Additur ex *Pelargo* similis casus, in femina, non puerpera, ab oneris gestatione ortus.

§. 10. Puerpera simul paralysi crurum laborans, diaphoreticis, antihystericis, et vesicatoriis curata.

§. 11. Puerpera valde delirans, antihystericis curata.

CAP. III.

§. 1. Adolescenti ex iracundia tetanus oris, cum insequentibus miliis. Morbus variis motibus conuulsiuis interpolatus, sex septimanas durans, insequente sanitate.

§. 2. 3. Duo pueri a terrore mox febri miliari occupantur.

§. 4. Adolescens, febre miliari, cum stupore, quasi hysterico laborans, obiit.

§. 5. Virgo quindecim annorum, cum miliis delirans, et leuiter conuulsa, vsu opiatorum, et neruinorum conualescens.

§. 6. Vir triginta sex annorum, miliis cum phrenitide laborans, venaesectionibus, et purgationibus tractatus, obiit. Totum corpus repertum est exsangue.

§. 7. Femina annorum triginta tres temperantibus, opiatis, et camphora tractata, obit.

§. 8. Vir triginta ſex annorum, delirio, ſe mortuum et ſepeliundum poſcens, conualuit. Idem caſus de femina ſine miliis.

§. 9. Milia feminae, circa trigeſimum diem albeſcentia, eum veterno aegrae, tandem conualeſcentis.

§. 10. Vidua a febre miliari, poſt morbillizantem perpeſſam, correpta, ſubito obit.

§. 11. Quadragenariis poſt faciei Eryſipelas, die morbi vigeſimo ſecundo, a miliis corripitur: poſt purgationes antiphlogiſticas, et infuſa paregorica conualuit.

§. 12. Quadragenarius purpura pellucida laborans, nitroſis et laxantibus curatus obit.

§. 13. Vir annorum triginta quinque, paraplegia occupatur, a carie ſecundae colli vertebrae, vnde in facie, et nucha, milia. Moritur.

§. 14. Viduae triginta quinque annorum, febre lenta hyſterica laboranti milia educuntur frictione cum fumo ſuccini, per integram horam, ter in die repetita, trium ſeptimanarum ſpatio; conualuit.

§. 15. Vir triginta ſex annorum cum arthritide miliis laborans, mutato induſio conualuit.

§. 16. Vir triginta annorum, ob luis venereae ſuſpicionem ſalinationi ſubiectus, purpura alba afficitur, cum pulſu hypochondriaco - hyſterico: in balneo bene lotus et frictus conualeſcit. Poſtea autocheir.

§. 17. Femina ex melancholia delirans, ſudoriferis, et nitroſis tractata conualeſcit.

§. 18. Neonupta, a prima nocte delirans, ridens, purpura rubra et alba afficitur. Per diapnoica conualuit.

§. 19. Femina, nona ſeptimana a partu, denuo concipiens, purpura alba afficitur, cum narium haemorrhagia, diarrhaea, et diabete: conualuit.

§. 20. Pleuritis cum purpura alba.

§. 21. Inflammatio inteſtinorum c. purpura alba.

CAP. IV.

De natura febris miliaris ex ſymptomatibus eruta. Symptomata hypochondriaco - hyſterica ſunt conſideranda; nam ex ſtagnatione ſanguinis in viſceribus hypochondriacis facile exanthemata in ſuperficie corporis producuntur, quod in caſu probatur. Separatim. Anxietates, pectoris oppreſſiones, aeſtus volatici, pulſus ſub hypochondriis, ſuffocatio, ſtupor comatoſus, vigiliae, ſuſurrus aurium, delirium, motus conuulſiui, viſcidum in faucibus, magna debilitas, ſudor effuſus, lypo-

lypothymiae, frigus externum et internum, vrinae parcitas, et excretio gelatinosa.

§. 12. Cur purpura alba se associet arthritidi.

§. 13. Cur puerperis.

§. 14. Cur post exantlatas alias febres.

§. 15. De miliorum retrogressione.

§. 16. De facie miliis laborantium.

§. 17. Tetanus oris, cum aspredine, miliis, largo opii vsu curatus.

§. 18. Ex supra dictis statuitur I. praesens intemperies succi neruei, vel humorum vaginalium neruorum, domestica, vel II. per alias causas, e. g. per animi commotiones excitata. III. Plexus mesenterici concursus.

§. 19. Auctoritas adiicitur ex Eph. Nat. Cur. D. III. A. 7. 8. Obs. 206.

§. 20. De causis procatarcticis: allegantur *Lindnerus* et *Hamilton*, Indos hac febre laborare asserens. Causa in aëris constitutione.

§. 21. Definitio: *Milia vesicularia, purpura alba dicta, sunt neruorum excretiones halituosae, quibus, si spasmus febrilis adest, vel ex domestica corporis causa, vel ex animi pathemate, vel ex aëre succum neruorum alterante, sanguinem in visceribus coaugmentans, et primario plexum mesenterii*

terii in tumultum agens, adeo, vt his, in consensum acto, paris vagi neruorum ramulo, ad praecordia, anxietates, vigiliae, deliria, conuulsiones, aestus, volatici, sudores, et reliqua hypochondriacis et hystericis solennia symptomata generentur; pro dato neruorum robore, facile, vel difficulter sanabilia; quin, in posteriori casu, saepe in apoplexiam, vel in partium nobiliorum, vel in ipsorum neruorum visibilem, aut inuisibilem necrosin, cum morte, aliquando in sanitatem terminantia.

§. 22. Conclusio ad Therapiam: 1) spasmum febrilem sopire; 2) vires vitae fulcire; 3) excretionis periphericae non primariam habere rationem. De methodo lotrice cum frigida adiicitur.

CAP. V.

§. 1. 2. 3. Consideratio primae indicationis: ante vsum antispasmodicorum, laxans, et pro re nata, vomitorium, cum cautione.

§. 4. Nerui placandi pilulis ex castoreo, asa foet. moscho, aloë, primo biduo.

§. 5. Oppressionibus pectoris frictio cum fumo succini. Vsus infusi cascarillae et rad. valerianae, spiritus bezoard. Bussi et castorei. Piedro del Porco vsus vanus. Admittitur potus seri lactis vario modo parati, frigidi, a spasmo mesen-

terico

terico liberis inteſtinis. Pſychrolucia reprobatur. Amittuntur clyſteres frigiduli.

§. 6. Venaeſectio admiſſa, licet contradicat *Home* in Medical facts Hirudinum adplicatio.

§. 7 Ad ſecundam indicationem vires fulciantur, otu frigidulo vini, ſeri lactis, et omnis potuleti. Praeſente adpetitu, panis ſapidus, poma fragrantia, parcum carnis vitulinae aſſatae, ſucculentae, cum brodio acidulo, iuſcula carnium tenuia, pinguedine carentia acidula comedantur. Potus qualis. Serum lactis quale. Fragratia, ſuauia, male odora, vtpote neruina etc. Frictiones *Ranchiniana* topica, in tractatus de Saio Praefamine notata.

§. 8. Tertiae indicationi qualis ratio habenda. Medicorum Polonorum nimium habita ratio. Pſychroluſia notatur.

§. 9. Ad ſymptomata fit acceſſus, et quidem quid agendum: 1) Praeſentibus pectoris oppreſſionibus; 2) faucibus ſtrangulantibus; 3) lypothymiis ingruentibus; 4) vigiliis vrgentibus; 5) arteriis in cordis ſcrobiculo pulſantibus; 6) deliriis furientibus; 7) conuulſionibus vagantibus. De vſu interno ſacchari ſaturni; 8) comatoſo ſtupore accedente; 9) excretione gelatinoſa praeſente; 10) ſudore effuſo vrente; 11) vrina parca; 12) diarrhaea incidente; 13) frigore interno percellente; 14) lochiorum irregulari fluxu. De potu Caffee in puerperio.

§. 10.

§. 10. De negligenda purpura alba. De methodo ſudorifera. De opinione vulgi, circa naturam purpurae miliaris.

§. 11. Febris miliaris non negligenter tractanda.

§. 12. Criſis purpurae albae.

CAP. VI.

De Prognoſi.

Veſiculae miliares abſque febre ſunt abſque periculo. Idiopathica febris, periculoſa. Symptomatica cum miliis copioſis, morbum dant gravem. Cum typo febris intermittentis inſidioſa. Prognoſis circa anxietates: Circa ſudorem cum pulſu exili; genarum circa ruborem; mucum narium; vrinam; circa cutem; fauces; ſtuporem comatoſum; ſubita Halcyonia; circa faciem aegri; conuulſiones; ventrem rugientem; deliquia animi; vigilias; diarrhaeam; frigus internum, et ad crura; circa vomitum. Quoad Puerperas. Vetulis minus periculoſa: ex Collect. Vratislav. et Tract. de Senio, Erfordiae, 1760.

CAP. VII.

De Praeſeruatione.

1) Certa methodus praeſeruandi non datur. 2) Puerperae vix iuſte accuſatae. Conſilium Puerperis, ſeptuplex. Reliquis compendioſum.

Addi-

Additamentum ex Illuſtri *Fordyce*, Medico Anglo, nempe eius Tractatu de Hiſtoria febris miliaris, Londini, 1758 edito. Queritur, quod negetur febris miliaris, ſimilis in hoc *Hamiltono*. Pag. 3. febris magnopere epidemica. Pag. 4. de Natalibus huius febris; cum adiecto ratiocinio circa ortum nouorum morborum. Pag. 18. de cauſa huius febris. Interiectis variis dubiis et ratiociniis.

Aphoriſmorum Fordycianorum, numero 162 amica perluſtratio.





CAPVT I.

De veſiculis miliaribus abſque febre.

§. 1.

Percognitum eſt, infantibus recens natis, mox a natiuitatis die, exſurgere in cute myriades veſicularum cryſtallinarum, quas mulieres cutis adpellant florem, quibuscum infantes plerumque quieti deprehenduntur, nec, ex hoc exanthemate, vllo febrili ſymptomate afficiuntur. Interim bene conſiderandum, has veſiculas, in plerisque infantibus, mox eminentias quasdam piloſas, nerueas inſequi, in dorſo maxime reperibiles, quas Comedones vocant, et quas, ſub vermiculorum horrendorum, generique nondum vlli addictorum, forma, pictas dedit ETTMVLLERVS, in Valetudinario infantili.

§. 2. Hae eminentiae, quando apparent, infantes valde inquietas reddunt, pruritum vehementem excitando; donec vel ſponte exareſcant, et extricentur, vel melle liquato, vel fecibus cereuiſiae, vel, more Luſitanico, cum melle et fuligine, frictae, exſtirpentur, vel nouacula amputentur, palliatiue: quando autem iterata extricatio cum materia quadam mucilaginoſa non inſequitur, amputatio illa parui eſt leuaminis.

§. 3. Receptus vſus mellis, et pilorum horum elaſticorum ſub frictione calida, ad fornacem, vel in balneis, commotio, primo ideam de vermiculis generauit, et ideo non ſolum in figuram illorum inquiſitum eſt microſcopiis, ſed et primariae partes animalculi, caput cum ocellis inuentum, more Pictoribus ſolito, qui aeque facile figurae aliquid addunt, quam demunt. Quod vt probem, vide figuram Rapae anthropomorphae in Ephem. Nat. Cur. D. I. A. I. et Coll. Vratisl. A. 1725. menſe Octob. alia de puella etiam regni vegetabilis.

§. 4. Quantus, variusque labor ad debellanda haec animalcula adhibitus fuerit olim, dum hi mercurialia in vſum vocarunt, illi aloëtica, aliaque amara, vide apud ETTMVLLERVM. Quae mihi oblata ſunt, non vna vice, ex infantum cute, ſiue melle, ſiue fecibus mediantibus, extricata corpuſcula nigra, difformia, crinibus minuſculis hirſuta, magnitudine vix ſemen carui aequantia, minime illis vermiculis fuerunt ſimilia, etiam microſcopio conſpecta.

§. 5.

§. 5. Allegat ibidem ETTMVLLERVS hanc excretionem miliarem infantum originem ſuam debere maſſae ſanguineae, ex prima intenſiore reſpiratione, fermentatione agitatae, ex qua feculentiae tales ad cutim extrudantur, et quidem occaſione balneorum cum recens natis inſtitutorum. Verum tales excretiones infantum, vnice ob diutinam macerationem papillarum nervearum periphericarum, in liquore, et muco vterinis, per balneum, ab his liberatorum, nunc relaxata epidermide, viuidum ſuum ſuccum in miliares veſiculas exhalantium naſci, magis credibile eſt, exſiccante poſtea impune apicum neruorum ſubſtantia, vt ſecari, vel euelli poſſit.

§. 6. Notandum etiam, quod infantes, ſub excretione miliorum, apparenter non aegrotent, id quod, ſi excretionibus feculentis, cum ETTMVLLERO tribuas, abſque febrili commotione ſanguinis fieri non poſſet. Affici autem totum ſyſtema neruoſum interdum grauiter, forſan Tetanus oris, puſillis, mox ſub curſu hujus affectus miliaris ſuperueniens, docet. Videbimus enim infra hunc grauem ſpaſmum etiam adultos corripere, et huic morbo jungi.

§. 7. Praeter hanc ſpontaneam apparentiam veſiculas miliares aliquando apparebant in dorſo manus viri, qui contra Scabiem magma quoddam ex lapatho acuto et ſapone adhibuerat. Hoc magmate mediante papillae nerveae innumeras veſiculas miliares exhalauerant.

§ 8. Sic femina contra dolorem capitis emplaſtrum de Tacamahaca fronti applicauerat: ex quo tota frons puſtulis miliaribus obſerebatur.

§. 9. Femina quaedam obeſior, nephritica, per biennium fere, a malo iſchiadico, in femore ſiniſtro vexabatur, et tandem lectum ob doloris vehementiam ſervare cogebatur. Decoctum amaricans, cum lignis exoticis, dolorem parumper ſopiebat. Exſurgebant autem mox anxietates hypochondriacae, cum veſiculis miliaribus, purpura alba, vocatis, in femore dolente et abdomine, eiusdem adfecti lateris. Accedebat tandem dolor podagricus, qui milia cum anxietâtibus quaſi reſorbebat, vnde omnia rurſus tranquilla euadebant. Interim hae excretiones ſpatio trium ſeptimanarum contigerunt, abſque febre quidem, ſed ſemper comitantibus anxietatibus.

§. 10. Annumeranda nunc venit femina quaedam 25 annorum, quae tertio graviditatis menſe, abortum trigeminorum patiebatur, quorum vnus totus ſphacelatus, et niger erat, nullatenus tamen a ſphacelo mollis vel foetidus: reliqui vero erant optimae conditionis. Secundinae perfecte ſecutae erant. Lochia pauca nunc fluebant, nunc ceſſabant. Accedebant autem dolores abdominis totum corpus interdum peruagantes, et ipſas ſcapulas lancinantes. Maxime moleſtae autem erant hypochondriorum inflationes, cum anxietatibus, et conjuncta brachiorum et dorſi formicatione, abſque omni febricula, et febrili pulſu; niſi pulſus agitationem, praeſenti-

bus

bus anxietatibus, exceperis. Apparent autem die octavo, in brachiis a pruriente formicatione antea valde vexatis, et ſimul in manibus, puſtulae miliares. Remedia dantur, aluum leniter ſubducentia, aloëtica doſi parciſſima, abſorbentia, nitroſa, parce omnia, quia omnia ſunt pacata. Sub his remediis tranſpiratio interdum ſponte aucta erat, interdum nulla. Elapſis circiter quatuor diebus veſicularum fit deſquamatio. Noctes tamen, ſub pulſus ſtatu naturali, ſunt inquietae, et appetitus ad cibum deeſt. His non obſtantibus, aegra ad negotia domeſtica redit, a dictis illis anxietatibus, et moleſtiis libera. Elapſo autem ſic vix quatriduo, nouae anxietates, noui dolores abdominis, excretionem lochialem molientes, cum formicationibus brachiorum valde moleſtis, lectum repetere, et ibi ſolamen ex ſudore benigno, cum noua excretione veſicularum cryſtallinarum miliarium exſpectare rurſus iubent. Apparent, obuiam itur iisdem praedictis remediis: mitigantur, et ſoluuntur rurſus omnes hae moleſtiae, aegramque hac vice clementius dimittunt. Alacrior itaque nunc ſua recapeſſit negotia. Verum vix elapſo octiduo, eadem inſurgit ſcena, et hac iterum, clementiore multum modo finita, aegra rurſus, per octiduum, negotiis extra lectum vacat; donec quarta vice, ſolitis ſymptomatibus, leuiſſimis tamen, et abſque dolorificis lochialibus excretionibus vexata, de lecto multum alacrior ſurgeret, et quidem ſine omni inſequente recidiua.

§. 11. Durauerat hic interpolatus morbus per quinque ſeptimanas, quibus elapſis, ecce, obſeruantur in brachiis, nunc denudatis, in quibus dictae formicationes immitius aegram vexauerant, eminentiae multae, totae nigrae, iis ſimiles, quas in infantibus, poſt ita nuncupatum, cutis florem, et inſequentem magnum pruritum, inquietudinem, et eiulatum, Comedones et Crinones appellare ſolemus; multum craſſiores tamen, et, ut praeciſe loquar, lineam dimidiam craſſae, et lineas tres, vel quatuór longae, abſque doloris ſenſu, ſe facile euelli patientes. Illa earundem pars, quae extans cutim perforauerat, dura et nigra erat, vti Comedonum corpus, quae autem intra cutim adhuc haerebat, mollioris, nerueae erat ſubſtantiae, et albi coloris. Interpolatas itaque has ſpaſmodicas criſes, ex quacunque fuerint immediata cauſa, ſaluauiſſe integrum ſyſtema neruoſum, per extremitatum corruptionem, maxime credibile eſt. Et, cur hoc credere non liceat? Quotidie enim cum partibus ſolidis neruos ſuppuraſcere, vel in ſiccum ſphacelum abire videmus, abſque totius ſyſtematis noxa. Quando autem ichoreſcunt, tunc periculoſior eſt illorum conditio, totum ſyſtema malignitate inficiens, et conuulſiones cum inſequente morte alliciens.

§. 12. Licitum mihi ſit ex Ephemer. Nat. Cur. Vol. X. Append. p. 10. caſum allegare, rarum hoc phoenomenon dilucidantem, conformem. Matrona nobilis, 46 annorum, obeſi corpo-

corporis, a nocturno funere redux febriebat. Anſam morbo dederant moeror, et foeda, quae e tumulo ſpirabant, effluuia: Fluxerant modo ante menſes; vires protinus deſtruebat cardiacus dolor atrox; nox inde vigil; amaror oris; mador ſine leuamine; vrina bilioſa; ſitis; algor cum fervore alternus; mox ſudor colliquatiuus; quarta milii confluentis aderat copia. Huius puſtulae adeo confertim extuberabant, ut multiplicato ordine ſibi inuicem inſiderent; turgebat illo ignitorum tuberculorum agmine corporis ambitus; ſplendebat fuſco rubore torua facies; rugiebat venter; vrgebat veſicae ſtimulus; repetebant menſes; artus rheumate torquebantur. Tali praecipitati funeris apparatu circumuallata noſtra, quinta die anxia, quaſi e vinculis ſe extricatura, ſe voluebat, ſuſpirioſa, lurida pallore marcida, βȣφθαλμος, aphona. ſtertens, ſubito exſpirans. *Vaſorum cutaneorum apicibus, igne ſacro, non ſecus ac pulueris pyrii accenſione deſtructis.* Si pace tua licet, aeque Lector, haec verba ita interpretarer: papillarum nervearum apicibus igne ſacro, non ſecus, ac pulueris pyrii accenſione (qui ſemper partes accenſas denigrat) deſtructis. Neruorum enim apices, papillas, in cute facilius dari, quam vaſorum, anaſtomoſi ſeſe excipientium, in aprico eſt.

§. 13. Vnica quidem mihi in Praxi obuenit ſupra allegata femina, cum nigris neruorum apicibus; forſan autem pluribus accidit. Nulla huc uſque ſuſpicio denudationem inquiſi-

toriam ſuaſit. Si autem in adultis raro contingit; in infantibus res eſt quotidiana. Ex his ſane inferre licebit, Crinones et Comedones infantum non eſſe mellifugos vermes, quales pinguntur in ettmvlleri Valetudinario infantili, ſed etiam apices nervorum, ſub puſtulis miliaribus infantum, flos cutis, dictis, emergentes. Conf. Nova Acta Phyſico-Medica, Tom. III. Obſerv. de natura febris miliaris, Comedonum et Crinonum infantum.

§. 14. Purpuram rubram, abſque febre, ſaepe videas feminas teneras, per ſaltationes ſibi procreare. Commotio vehemens ſanguinis produxit orgaſmum vaſcula ſanguiueha cutis extendentem, abſque febre, et ſic emerſit purpura artificialis.

§. 15. Haud inconuenienter forſan allegabo violentam illam veſicularum miliarium, per fumum ſuccini productionem, quae capite ſecundo, (§. 1.) dabitur. Adfuit quidem, praeſente hac productione, febris, qui veró haec productio non a morbo, ſed a manuali operatione facta eſt, illam hic locaſſe non incongruum fuiſſe puto.

§. 16. His praemiſſis, antequam progrediamur, febrem miliarem albam, purpuram albam, in Idiopathicam, et Symptomaticam diſtinguere lubet. Idiopathica audiet illa, quae immediate ex adfectis neruis oritur, febre ipſa ex his adfectis accenſa. Symptomatica vero, in qua haec neruorum ſingularis affectio, alius cauſae

febribus

febribus accedit. Cum jam febris Puerperarum miliaris apertiſſime ſymptomatica ſit, accedens nempe febri puerperis per ſe ſolenni, de febri miliari Puerperarum, in ſequente capite, primo, et ſeparatim agemus.

§. 17. Equidem non omnes, quos adducam caſus, meae ſunt experientiae; illos autem ex variis Scriptoribus proferam, ex quibus indagatis naturam Purpurae albae felicius cognoſcere licebit.



CAPVT II.

De febre miliari, ſeu de purpura alba Puerperarum.

§. 1.

In capite praecedente febrim puerperae, poſt abortum trigeminorum, miliarem, ad illas retuli, in quibus milia alba, pellucida et cryſtallina, abſque febre conſpiciuntur, quia illa, omnimode aequiuoca, et ſaepius cum euphoria interpolata fuerat. Nunc autem in puerperas, hac ſymptomatica febre grauiter laborantes inquirere iuuat. Ex recenſione enim ſtatus illarum praecedentis grauiditatis, et ex ſymptomatibus febrim comitantibus, facile natura et cauſa febris huius deleteriae detegetur.

§. 2. Puerpera annorum 35, temperamenti viuidi, ſanguinei, habitus tamen teneri, in quinto puerperio, in quod, per grauiditatem, multo aeſtu volatico, pedum oedemate, multisque aliis moleſtiis ſtipatam, excluſo feliciter grandiore foetu, peruenerat, fluentibus copioſe lochiis, tertio die in easdem incidit lypothymias, quas mox a partu, cum a ſella, in qua aluum depoſuerat, ad lectum properaret, perpeſſa erat. Reuocata, per varia excitantia, anima, et deuolutis, conſueta encheireſi, cum meſenterio inſurgentibus inteſtinis (vtero, ad vulgi ſenſum) vires, ex parciſſimo hauſtu vini rhenani, aromatiſati, et ſaccharati, recipit. Datum vſualiter ad eundem ſcopum, caſtoreum, et Liquorem C. C. ſuccin. reſpuit. Poſt vini hauſtum ructus explodit innumeros, aegram valde leuantes: cum e contra a dictis medicamentis ardorem et faucium ſiccitatem ſentiret, idque eo magis, cum iam reniſum aliquem in deglutitione, hyſtericis ſolennem obſeruaret. Quae iam tertio die puerperii aegram afficiebat febris, nunc die quarto illam magis afficiebat, cum multa iectigatione, et dolore in vtero, non obſtante debito lochiorum fluxu. Nihilo minus ex tumore quodam in oſſe ſacro ſuſpicio de ſtagnatione ſanguinis circa vaſa vteri naſcebatur, et datis remediis antifebrilibus, nitratis, clyſter ex herbis emollientibus, cum oleo lini, abſque ſale, parabatur, et intuitu reſoluendae ſtagnationis, decocti clyſmatici, vnciis nouem drachma vna et ſemis ſpiritus vini gallici admiſcebatur. Euocabat quidem hoc

clyſma

clyſma copioſas feces, ſed tantilla ſpiritus vini quantitas, ardores inteſtinorum, et quidem ſaluo inteſtino recto, et majorem linguae et faucium ariduram creabat, cum magna tamen remiſſione tumoris in oſſe ſacro, et vteri doloris. Die quinto noui inſurgebant aeſtus volatici, anxietates, iectigationes, et vigiliae, cum valde moleſtis brachiorum ardoribus, et licet aegra aluum ſecunda vice deponeret, nulla tamen inde horum incommodorum remiſſio, donec lactis vnciae octo, cum drachma nitri in anum iniicerentur, vnde turbarum harum ſpaſmoticarum finis. Die ſexto idem clyſter iniiciebatur, addita herba chamomillae; ex quo cum paucis fecibus, febris, et anxietatum magna remiſſio. Hinc die ſeptimo ſtatus aegrae tranquillior. Praeter Thee nigrum, omnem alium potum auerſabatur; bibebat autem frigidulum, moderatis hauſtibus. Die octauo, aluus, verſus veſperam ſponte ſoluebatur ſpumida, cum multorum flatuum, ex reſtituto tono, exploſione; vnde nox ſomnifera. Die nono, de moleſto gutturis ſenſu querebatur, quem illinitio externa cum oleo carui deſtillato leuabat. Vſus ſolennium remediorum febrifugorum, ob aegrae auerſationem huc uſque parcus fuerat; et ſic tranſibant, dies decimus, vndecimus et duodecimus, niſi, quod in his, et in praecedentibus, aegra languida, in iuſculo vini lymphati ſolamen quaereret, et inueniret; quin ſub initio huius vſus, hunc adhuc de illo fructum frui depraedicaret, quod exinde viſum a puerperio debilitatum, adeo fortiorem reciperet, vt, cum antea lucem nullatenus

tenus ferre potuerit, nunc illam commode ferat: taceo, quod lochia alba, interdum remorantia, ſemper ex vſu iuſculi vinoſi melius fluxerint. Die decimo tertio tandem praeter conſuetos ardores volaticos brachiorum, peculiarem quendam pruritum in ſterno, et in mammis ſentiebat, et cum haec regio inſpiceretur, purpura alba, pellucida, ibi reperiebatur. Eruperat nempe hoc exanthema, ſub his halcyoniis, et ſub lochiis copioſioribus. Diem morbi decimum quartum nox praeceſſerat inquieta, anxia, cum ardoribus volaticis, maxime in brachiis. Applicabatur clyſter lacteus, unde duae ſedes. Milia in pectore copioſiora. Aegra quotidie mutat lectum, in recalefactum autem redit. Thee bibit, mox calidum, mox frigidum, pro naturae nutu. Sudor parciſſimus, vel nullus. Extra aeſtuum volaticorum momenta, brachia ſunt frigida. Aegra, mox totius corporis, et manuum, quin faciei coopertionem, ſub immobili quiete corporis, ſibi commodam facit, mox ſimul et ſemel adeo vritur, ut manus et faciem ſubito detegat, et auram admittat. Lochia alba rurſus parca. Interim ſub repetitis aeſtibus volaticis novae miliares puſtulae. Die decimo quinto mox quieta quidem, ſed fere inſomnis. Petit iuſculum vinoſum; ex dato analepſis, ructuum exploſio, et ad ſomnum inclinatio. Die decimo ſexto, nox praecedens ſomnifera, aegraque ab aeſtu fere libera, cum pulſu rythmi naturalis. Puſtulae miliares turbidae fiunt, deſquamantur, nec nouae ſuccedunt. Die decimo ſeptimo de debilitate queritur, et

linguae

linguae ſiccitate, comite leuiore aeſtu, et quadam pulſus agitatione. Die decimo octavo parcitas ſomni, et eodem debilitas. Die decimo nono iuſculum ſibi ex lacte parari facit, fert etiam ad panem butyraceum adpetitus, quibus comeſtis, poſt trihorium circiter, graues hypochondrii vtriusque tenſiones, et poſt horulam, graues lypothymiae, hyſtericae dictae. Inteſtinorum, et meſenterii nerui, ante per iuſcula vinoſa roborati, ex his mucilaginoſis in atoniam relapſi erant. Nullae autem ſequebantur nouae anxietates, nec miliares puſtulae. Reſtabat tamen, in corpore tenero, per graviditatis moleſtias, partum, et morbum grauem ſuperatum, emaciato, febricula lenta, quam Phthiſis cum tuſſe, et tandem vomica ſuppurata inſequebatur: et, vix elapſo biennio, mors.

§. 3. Puerpera primipera, quae tempore grauiditatis adpetitui ad varia edulia indulſerat, durante puerperio, dorſi, coliciſque doloribus fit obnoxia, et non, niſi ex pilulis Becch. aluum deponit. Die decimo ſeptimo lectum relinquit, ſe bene valentem habens, lochiis ſimul adhuc fluentibus. Panem edit crocatum, butyro grauidum, et haud longe poſt terrore afficitur. Sequuntur mox cardialgiae, vomitus, ſudor frigidus, pulſus paruus, celerrimus, ructusque ſingultuoſi. Applicantur clyſteres ſex, ſucceſſiue emollientes, quin irritantes abſque fructu. Poſtea ex pilulis Becch. repetitis, aluus ſoluitur fluida, ſpatio 36 horarum, decies. Ceſſant vomitus, perſtant ructus ſingultuoſi. Somnus ſequitur

quitur turbulentus. Tertio die adpetit cereuiſiam coctam, addito pane, illamque bene fert. Pulſus tamen eſt febrilis, celerrimus, debiliſſimus, myurus. Frigent extrema, abſque ardore interno. Dolet hypochondrium ſiniſtrum. Veſperi adhuc ſedes liquidae, oleoſae, a clyſtere tales, et tantem feces ſolidae, cum flatibus, huc vſque praecluſis, et ex nunc ructuum ceſſatio. Non enim amplius infarcta erant, ſub hypochondriis inteſtina. Contra dolores abdominis, et ad oeconomiae corporis placidae reductionem dantur inter alia diapnoica, Theriacae cael. gr. 1. cum Laud. op. tertia parte grani. Nox inde placida, pulſus plenior, et ad ryhmum naturalem paululum redeunt: manus pedesque calidi. In collo autem miliares puſtulae, licet non copioſae, die quarto apparebant. Hae die quinto diſparebant. Die ſexto copia redibant. Aluus ex ſex pilulis Becch. per totum diem diarrhaeodes, quae, ob lochia retenta, non tenebatur noxia. Comites autem erant ſomnus parcus, manus frigidae, pulſus debilis: ſudor nullus, vrina nulla, flatus nulli. Remedio ſunt aquae carminatiuae cum eſſent: corticum aurant. interpoſito nitro. Verſus noctem autem praedictus puluis ex Ther. caeleſt. abſque, hac vice, ſomno inſequente. Die ſeptimo frigus internum accuſat, et ſuperficiei corporis ardorem. Datur puluis ex gr. x. cort. peruv. et caſcar. gr. v. cum tertia parte grani laudani opiati. Quieta quae ante horum puluerum vſum aegra, poſt duos puluercs, trihorio ſumtos, caput ſibi grauari dicebat. Dantur ſpir.

Bez.

Bez. Bussi gtt. 20 et ex his, bis datis, pulsus plenior, et aegrae declaratio sibi melius esse. Albescunt milia confestim. Nox diei octaui tranquilla fuit, et somnifera. Queritur tamen de dolore in ileo sinistro, ideo clyster carminatiuus iniicitur, animatur duabus drachmis ess. alexiph. Stahlii, c. doloris sopitione. Quinque pilulae Becch. horas septem ante clysma datae duas dabant simul sedes. Lochia sunt parcissima. Pulsus plenior, semper tamen febrilis. Aegra nihilo minus animi est hilaris. Versus noctem autem frigoris interni sensus, a capite ad calcem, et externorum calor auctus. Caput maxime a frigore afficitur. Alternant frigus et calor: major tamen est frigoris sensus, dum loquitur, et corpus vel minimum mouet. Die nono se bene dormiuisse dicit. Dantur sper. bez. Bussi guttae 5. repetitis dosibus. Ex iusculo gallinaceo prandium, cum suspecto tamen, et dubio appetitu, capit. Aluus bis vel ter sponte soluitur. Versus noctem sensus frigoris interni mitior, ipsaque nox tranquilla, insomnis tamen. Die decimo, mane, magnus frigoris interni sensus. Ad hunc fugandum pulueri, ex cort. peruv. et cascar. addebatur ol. cinamomi gutta vnica; sed maior inde frigoris in capite sensus, cum pulsatione. Post bihorium, delirium, conatus vomendi, stupor apoplecticus, et, elapsa hora, mors.

§. 4. Femina 26 annorum, tenerioris habitus, tempore grauiditatis consuetam omiserat venaesectionem. Quarto a partu die lochia subsistunt,

ſiſtunt, et anxietates praecordiorum, cum aeſtu et frigore alternantes, vigiliaeqúe cum febre, et ſiti inexplebili exoriuntur. Purpura praedicitur. Ideo aluus, quae in primo puerperii triduo, pilulis Stahlianis ſollicitabatur, nunc clyſmate ſoluitur. Datur infuſum diapnoicum Theiforme, et ſp. nitri dulcis cum quarta parte ſpir. bez. Buſſi. Adparuit purpura die quarto. Diſparuit autem mox, et exinde maior reſpirandi difficultas, cum animi deliquiis. Accedit tenſio quaedam in regione lumbari et meleſta veſicae exoneratio. Quid conſilii? regimen diaphoreticum reiicitur, ſtragulorum pondus remouetur, et aër frigidiuſculus in conclaue admittitur, ſimulque potus ex decocto auenaceo, C. C. nitro, et melle frigidum ſumendum datur, et quidem omni bihorio. Scopo diuretico autem crem. tartari ſcrup. vnus, cum ſalis tartari ſcrup. dimidio propinatur; et quo hic ſcopus eo melius obtineatur, regioni veſicae et renum, veſicae bubulae, oleo et lacte ſemiplenae imponuntur. His ſubſidiis ſpatio 24 horarum, aegra octodecim menſuras aquae frigidae bibere coacta fuit, quae vix a ventriculo exceptae, albae per vrinam redditae ſunt, et pellucidae, abſque ſedimento, inſequentibus in vitri parietibus ſpiculis ſalinis, ſine dubio ex cremore tartari natis. Durante diureſi pectus non ſolum fumo ſuccini frictum, ſed et aqua calida ſaepius lotum fuit; quibus rebus ſudor placidus per vniuerſum corpus ſucceſſit. Hinc ſeptimo morbi die corpus veſiculis minimis totum fuit conſitum. Adhibitis, per biduum pulueribus ex antim. diaph. et nitro, anxietates, et phlo-

phlogoſes ſublatae ſunt, et aegra conualuit. Fatetur quidem Auctor, in Primitiis Med. Pol. Vol. II. p. 219. aegros quosdam hac methodo periiſſe, et illorum accuſat laxiorem texturam. Itaque, quia haec febris maxime ſubiecta laxioris texturae infeſtat, haec methodus omnibus ſecura non erit. Cumque addat, Iudaeos hoc morbo plurimum laborare, certe et illi, ex natiua conſtitutione, vel lege regiminis vitae, laxioris habitus homines ſunt cenſendi.

§. 5. Femina 24 annorum, tenerioris conſtitutionis, ſecunda vice puerpera, primo et ſecundo die, vti fere omnes ſolent, bene valet. Ingruens tertio die ſpirandi difficultas, aeſtuſque, cum magna debilitate, periculum indicant. Hypochondrium ſiniſtrum tumidum eſt, eodem in loco, quo tempore grauiditatis ponderis ſenſum moleſtum habuerat aegra. De ſanguine coagulato, et accumulato naſcitur ſuſpicio: ideo cataplaſma ex herbis emollientibus, vino rubro incoctis applicatur, ſimulque doſis pilularum Stahlii propinatur. Subſidet inde tumor, ſed mox in regione pubis pondus ſentitur, quae itaque eodem cataplaſmate fouetur; interne autem myrrha, cum variis extractis amaris, lixiuioſo menſtruo ſolutis, datur. Die quarto et quinto lochia copioſa, cum omnium ſymptomatum leuamine, et excretione ſanguinis ichoroſi, foetidi. Septimo die puſtulae miliares ſparſim efflореſcunt: calor vero, et imi ventris ſpaſticae contractiones perſiſtunt. Iniicitur itaque die octauo rurſus clyſma.

Die decimo tandem veſiculae plures, in collo et pectore: anxietates praecordiorum, capitiſque dolores mitiores. Die vndecimo omnia bene. Die duodecimo lochiorum ſtaſis, et omnia priora mala: nulla, neque ex diureticis, neque ex diluentibus melioratio. Animi deliquia, cum ſumma debilitate. Veſicatoria pedibus applicantur. Fricatur pectus cum panno laneo, ſuccini fumo imbuto, et aqua calida lauatur. Redit tandem lochiorum fluxus, et purpura denuo effloreſcit. Die decimo quarto aegra a frigore corripitur totum corpus per duas horas concutiente. Inquietudines ſummae, pectoriſque oppreſſiones. Pulſus debilis, contractus. Sitis inexplebilis, ſudorque frigidus copioſus. Dolor in vagina vteri acutiſſimus. Veſtigia purpurae nulla. Actum eſſe de aegra putatur. Interim aegrae, leuamen poſcenti ſuadetur potus aquae frigidiſſimae, cuius menſurae dimidium, omni horae quadrante exhaurit, et quidem per integras quatuor horas. Vteri dolorem linteo aqua frigida grauido, et externe applicato ſopire tentatur: interne autem potio ex aquae meliſſae et ſerpilli vnciis quatuor, ceruſſae antim. nitri depur. drachmis duabus, et aliquid ſpiritus nitri dulcis, cum aceto deſtillato datur. Porro pulv. bezoard. cum camphorae grano, in aqua frigida aliquoties exhibetur. Iam quinque elapſis horis, frigus, ſitis inexplebilis, et vteri dolor ceſſabant, et miſera profundo oppreſſa ſomno, per ſex horas placide obdormiebat, quo tempore ex vtero magna copia ichoris bruni,

odoris

odoris foetidissimi effluxit. Vires paulatim cum sanitate redierunt. Ex Prim. Med. Pol. Vol. II.

§. 6. Femina quaedam ante partum dolore colico, spasmodico neruorum, et spirituum defectu laborans, ipsum partum infelicem habet; foetu exemto, ob spirituum defectum mox mors metuebatur. Medicus autem animum aegrae erigens, febrem miliarem praedixit. Dantur itaque ad lenem diaphoresin puluis e chelis cancrorum, et castorei gr. v. ex bolo. Adsunt simul pectoris oppressiones, cum pulsu frequenti et debili. Calor vniuersus absque alterno frigore. Vrina sanorum similis. Aluus bis soluta, hinc a colica libera. Ne autem exinde lochia minuerentur, castorei gr. v. asae foet. gr. XII. Laud. Londinensis gr. I. in pilulis, quauis quarta hora, ad dosin duarum pilularum sumendis, dantur. Die tertio idem status, nisi quod cor leuiter palpitet. Eadem iussa sunt medicamenta, additum tamen fuit sal volat. ol. guttis 20 in languoribus, ex aqua cerasorum, et cinamomi sumendum. Die quarto pustulae miliares adsunt, et spirituum minor defectus, suspiria etiam minora. Lochia recte fluunt, et aluus mediocriter soluitur. Sumantur itaque pilulae absque Laudano, sexta quauis hora. Ob timorem adstantium, ex diarrhaea mortem timentium, confect. Fracast. drachma vna ex aqua menthae, et aqua epidem. praescribitur. Die quinto vsus huius medicam. contra medici voluntatem fit copiosus; hinc primo feces inspissatae, mox autem tota diarrhaea sublata: inde palpitatio, et oppressio

cordis maiores; ergo croci gr. x. et tinct. croci guttae xx. ex aqua lactis dantur: porro pilulae ſupra dictae, ſine Laudano, et Iulapium ex aqua ceraſorum. Interim matris iuſſu diaſcordii vſus ſit perpetuus. Aegra percontatur alium medicum, an liceat ventilabro vti, ſe ex lecto erigere, cortinaſque lecti remouere? annuit. Verum, poſtea aegra confitetur, ſe ſpirituum defectum, et pectoris oppreſſiones exinde ſenſiſſe. Nihilo minus continuat aërem libere admittere, vnde non ſolum miliorum occultatio, ſed et materiae morbidae in cerebrum delatio, ex qua aegra, mox ſenſibus orbata, obiit. Hamilt. Hiſt. V.

§. 7. Puerpera 38 annorum, ipſa natura, et nunc ex ſexto partu, debilis, eosdem, quos ſub grauiditate paſſa erat dolores, adhuc dum patitur, cum calore et frigore alternos, pectoris oppreſſione, et ſpirituum languore. Amicae hos tumultus Vapores appellant, ſimul in die baptiſmi copioſe confluentes, ſpiritus aegrae iam debiles magis perturbant, et hoc modo tremores et motus conuulſiuos in aegra excitant, vt difficulter in lecto potuerit detineri, donec conuulſione vniuerſali correpta, mortuae ſimilis in languorem caderet. In ſpeculo, naribus, et ori, admoto, nullum reſpirationis ſignum, et in facie pallida mortis imago. Prohibentur tamen ſtragulorum remotiones et cogitationes de ordinatione ſepulturae: applicantur cucurbitulae, cum ſcarificatione inter ſcapulas, et internis femoribus; pone aures autem et in carpis, veſicatoria. Tempora, et

volae

volae manuum, pedumque plantae, oleo ſuccini illinuntur. Naribus ſternutatoria, et ori, pro poſſibili, caſtoreata induntur. Scarificatio tamen inter ſcapulas, ob corporis rigorem, vix fuit applicabilis. Biduo elapſo, primo recaleſcere, mox molliſſime reſpirare, et tandem deglutire cepit. Applicantur tunc veſicatoria inter ſcapulas, et propinantur guttae 20 ſalis vol. ol. Die tertio aegra loquitur, et ſe mouet: puſtulae copioſiſſime etiam apparent. Die quarto maiores fiunt, cum mentis plenario reditu, nec pectoris oppreſſio adeſt, nec languor; ſola imbecillitas reſtat. Datur puluis e chelis cancr. ex aqua lactis alexit, et ſic porro ex datis ſtomachicis amaris, paulatim conualuit, licet, durante morbo ſphacelationem in nate paſſa fuerat. Hamilt. Hiſt. VI.

§. 8. Puerpera in parturitione valde debilis, poſt partum pectoris oppreſſione, ſpirituum defectu, et ſuſpiriis laborabat. Hyſtericos vapores haec interpretabantur adſtantes. Interim denudatio mammarum, et alui relaxatio occaſionem dedit ſpiritus anguſtiae, et reſpirationi difficili conuulſiuae, cum graui tuſſi, vt mortem timerent. Pulſus erat frequens, et debilis; coniunctae vigiliae; vrina pallida; lochia ſuppreſſa. Puſtulae miliares ex dicta denudatione pauciſſimae. Ad methodum conſuetam ſudoriferam itaque confugere neceſſe erat. Ergo, recipe Sperm. Ceti ſcr. I. Bez. or. Croci ana ſcr. ſemis, Syr. hed. terr. q. ſ. pro Bolo; et ad aegrae, et illius amicorum bene placitum, qui hanc febrem

hyſtericum affectum eſſe aeſtimarunt, ſimulque, vt lochia pellerentur, recip. Caſtorei gr. 6. aſae foet. gr. 12. ſyr. poeon. q. ſ. pro pilul. 6. Sequente die optime ſe habebat, (idque pro Medici ſententia) ex Bolo. Reſpiratio leuior, lochiorum fluxus melior, vrina coloratior, puſtulae mil. in pectore plures. Repetitur itaque Bolus, addendo grana aliquot pulueris de gutteta, ne aſthma recurrat. Vmbilico Empl. de Tacamah. et plantis pedum ſuppedalia ex pice et euphorbio. Contra languores autem Iulapium perlatum, et aqua theriac. Inde veſperi ſudor et reſpiratio faciliores: puſtulae miliares denſiores, ſpirituum minor defectus. Continuentur itaque Boli, et *pro re nata, ſumatur ſuccus equinus ex fimo expreſſus in aqua card. ben. vt lochiorum fluxus, volatilibus fimi particulis excitaretur.* Nox inſequens placida quidem, ſed de die reſpiratio conuulſiua, ideo recipe aquae lact. alex. vnc. 3. Syr. caryoph. lact. epid. ana drach. 2. Lap. de Goa, de Guttet. ſcr. ſ. pro hauſtu, et poſt ſex horas ſumat Bolum nuperum, et pilulas 2 intermedio tempore. Ex his veſperi ſudor vniuerſalis, puſtularum intumeſcentia, et aſthma diminutum. Contra flatus autem valde moleſtos, ſaccharo inſtillentur ol. aurant. guttae tres, ſumendae ad libitum (*Idem antihyſtericum, ſed ſuauius et lenius, quam aſa foet. et ſtercus equinum, licet hic intuitu lochiorum datum, ob negatam praeſentiam paſſ. hyſtericae.*) Sequenti die omnia meliora: hunc tamen inſequente, ex intermiſſo ſudore, ventriculi aegritudo, et mentis confuſio delirioſa. Reſtituatur ſudor

dor per hauſtum praeſcriptum, addito Bez. or. et poſſeto ſaluiato, et empl. ſuppedal. Ex his puſtulae rubrae miliaribus interſperſae acceſſerunt; poſt quarum excretionem plures medici in auxilium vocati ſunt, qui puſtulas has rubras a ſudore tantum factas eſſe, cum riſu dictitarunt. (*Sint ex quacunque cauſa natae, bonum tamen ſucceſſum excretioni miliorum dediſſe videntur.*) Die inſequente puſtularum miliarum deſiccatio, et ad ſanitatem bonus progreſſus. Hamilt. Hiſt. vii.

§. 9. Primipara 18 annorum, tempore grauiditatis freta prouerbio, grauidis peccata diaetetica, abſque inſequente noxa, permiſſa eſſe, mox a partu vomit, id quod tamen, a iuſculo, ex carne parato, eueniſſe putat. Lochia ſubſiſtunt. Nox ſequitur inquieta, ſitis intolerabilis, pulſus vehementer febrilis, calor corporis vrent, brachia, pectus, et ſcapulae miliis multis obſitae. Dantur alexipharmaca temperata, et quae lochia promouere ſolent, ſed incaſſum omnia. Sequitur delirium, et veſiculae, ſeu hydatides cryſtallinae, per totum corpus, extremitatibus digitorum manuum pedumque, copioſiſſime, et racematim adhaerentes excernuntur, vt ne locus eſſet, qui cuſpidi acus cederet. Et licet delirium tandem ceſſaret, tamen omnes actiones animales et vitales, cum vita pedetentim euaneſcebant. (Menzelivs in Ephem. Nat. Cur. D. III. A. 9. Obſ. 184. ſimul declarans, tale quid in Praxi ſua non vidiſſe nec legiſſe.)

Certe, adeo enormiter copiofas veficulas in hac febre exanthematica videre, rarum eft; et robuftis folum talis copia aliquando non lethalis eft, vti in fequenti capite videbimus. Interim et *Pelargus*, in fuis Obferv. Clinicis, anni 1722. allegat feminam, cui poft infolitum motum corporis, fub oneris grauis geftatione, genus neruofum eius, fine dubio, quafi comprimente, tanta veficularum copia e neruis, comite febre, expreffa et excreta fuit, vt aliis non fuerit fuperftes locus, cum infecuta fimul morte.

§. 10. Femina, mariti nuperam mortem moerens, fit puerpera. Die tertio artus inferni fiunt paralytici, infequentibus noctu fymptomatibus fyncopticis. Femoribus internis veficatoria applicantur. Bolus datur ex fale vol. fucc. gr. 8. Croci gr. 4. pulv. e Chel. canc. fcrup. 1. Die infequente tumor et dolor in partibus paralyt. Ob fufpicionem de futuris miliis, diaphorefis, ex chel. cancr. et croco vrgetur. Apparent etiam mox in pectore. Accedunt vigiliae, et die quinto mufculorum laryngis hyfterica leuior conuulfio. Dantur pil. ex afa foetida et caftoreo: nihilominus refpiratio difficilior, et veficulae miliares plures, quae diaphoreticis aluntur. Contra dyfpnoeam ol. lini commendatur, quauis hora fumendum: hinc dolor mitior, fpiritus refecti, et milia laudabilia. Datur et decoctum album. Brachiis veficatoria applicantur. Interim reftat dyfpnoea, cum diarrhaea et lateris dolore. Recufatur ol. lini, ergo emulfio amygd. datur. Verbo, elapfis quin-

quindecim diebus, motus in partibus paralyt. redit, cum insecuta aegrae sanitate. Hamilt. Hist. II. (Retrogressis miliis succedens paralysis, semper diaphoret. sublata, legatur in Coll. Vrat. 1719. Octob. p. 426)

§. 11. Ex iisdem Coll. Vratisl. 1719. mense Iunio, memorabilis producendus est casus, de vsu remediorum antihyst. in hac febre. Puerpera primis diebus sat bene habet, mutatur autem per febrim in peius, adeo, vt die septimo, octauo et nono, cum maximis anxietatibus intense deliraret, et sub his purpura alba sparsim, in corpore, maxime vero in pectore appareret. Lochia, antea tarditatis accusata, rite tamen fluebant. Dantur bezoardica, vterina, et emulsio ex seminibus. Persistit delirium. Propinatur itaque cochleatim, mixtura ex aquis, cerasorum, samb. aliisque, cum aqua hirund. cum castoreo, addita ess. Laud. hysterica, aegra ipsa, talia roborantia, sub dulcium titulo, postulante. Hinc non solum lochia copiosiora, grumosa, sed et delirii, et vigiliarum finis; succedente somno placidissimo diuturno, et strenuo ad cibos appetitu, cum insequente plenaria sanitate. Exterminata quidem iam diu est ex dispensatoriis aqua hirundinum cum castoreo, verum combinatio castorei cum crasi avis, perpetuo mobili aemulae, et ab insectis singularibus viuente, forsan non vilipendendum constituet antihystericum. Ripariae ob victum, et habitacula vliginosa, merito praeferuntur.

CAPVT III.

De febre miliari, Purpura alba dicta, idiopathica et ſymptomatica.

Perpenſa, in capite praecedente febre miliari ſymptomatica puerperarum: nunc in praeſente aliorum ſubiectorum febres miliares idiopathicas et ſymptomaticas, promiſcue producemus. Ex copia enim hiſtoriarum vnice morbi genius exponi poterit.

§. 1. Adoleſcens, annorum ſeptendecim, ſtudiis non leuiter deditus, mox, a commotionibus animi iracundis, dolore nuchae et maxillarum corripitur. Tertio die ſequitur oris tetanus, et capitis dolorificus opiſthotonus. Ori, modeſta vi aperto, infunditur rad. Ipecac. et crem. tartari, ana ſcrup. 1. Euomit materiam ſpermati ranarum ſimilem; lingua fit tumida, atro rubicunda, aphthoſa. Dantur remedia congrua, et inprimis Eſſ. Scordii concentrata ad diaphoreſin. Sexto die apparet purpura alba: excretione, variis conuulſiuis motibus, interpolata. Morbus grauis per ſex durat ſeptimanas, cum inſequente ſanitate: tantam autem ſpaſmi in eius corpus, hoc tempore exercuerant malignam violentiam, vt, morbo ſuperato, vertebrae dorſi interius preſſae offenderentur, in tantum, vt ſternum praeternaturaliter emineret, et ſiniſtra ſcapula dextram ſuperaret.

§. 2.

§. 2. Puer decennis, a ſtrepitu inſolito, improuiſo, adeo terrore percellitur, vt tremens, et titubans, mox lectum petere cogeretur: febre ſtatim, cum multo ſudore inſequente. Quarto die purpura alba adeſt. Anxietates praeſentes vomitu ſpontaneo ſoluuntur. Prodeſt maxime, interpoſitis diapnoicis, Eſſ. Caſtorei. Decendii ſpatio conualuit.

§. 3. Alius, eiusdem fere aetatis, puer, a caſtigatione malefici publica, quam exerceri videbat, adeo animo perterrebatur, vt domum redux factus, lectum anxius peteret, et tertio die, cum ſudore effuſo purpura alba afficeretur. Methodo leniori diapnoica ad priſtinam reducebatur ſanitatem.

Omnes hos tres caſus ex immediata commotione generis neruoſi ortum ſuum habuiſſe luculenter apparet. Hinc, quae ſecutae ſunt febres miliares, idiopathicae ſunt habendae, a nullo miaſmate quodam venenoſo communicatae, nec alius morbi obſtetricatione ortae. Materia gelatinoſa primi aegri, ſpermati ranarum ſimilis, ſaepius in hypochondriacis et hyſtericis obſeruatur, diutius communiter ante collecta ex meſaraicis glandulis. Hic vero a criſpatura glandularum ventriculi mox generatam fuiſſe credibile eſt.

§. 4. Adoleſcens octodecim annorum, plethoricus, menſe Nouembri perfrigido, in febrem incidit, quaſi catarrhalem, praevia corporis laſſitudine. Tolerat hanc in aura frigida, orthoſta-

dius,

dius, per triduum. Iunguntur vigiliae, cephalalgia, et vomituritio. Applicat contra cephalalgiam, fronti acetum, pane et ſale temperatum. Die octauo morbi chirurgus purgans propinat, quinque efficiens ſedes. Debilis eſt aeger, et de dolore in ſiniſtro hypochondrio queritur, cum lingua quaſi paralytica. Fauces humore viſcido repletae ſunt, quem vel ſponte reddunt, vel ſyringa eluere opus eſt. Iacet ſibi quaſi neſcius, abſque loquela, ſuſpirans. Secatur vena frontis, et ſanguinis circiter quinque emittuntur vnciae. Applicatur ſimul veſicatorium in nucha. Aluus eſt diarrhaeodes. Somnus profundus, et grauis. Pulſus mediocriter febrilis, tenſus tamen, et quaſi reciprocus. Septimo die purpura pellucida, in axilla dextra tantum. Octauo, in pectore eius copia. Sudor fere nullus. Aphonia maior. Potentia corpus mouendi ſufficiens. Pulſus febrilior, i. e. celerior ictu, et frequentior repetitione et numero; exilis tamen. Frigus circa manuum carpos. Viſcidum ex faucibus, mediante ſyringa eductum, ſtriis ſanguineis eſt notatum. Nullus tamen in faucibus eſt tumor, ideo illarum conſtrictioni, et inde ſanguinis ſtagnationi, in illis attribuendae ſunt ſtriae. Nono die omnium puſtularum miliarium exareſcentia. Frigus manuum maior. Deglutitio valde impedita. Reſpiratio, aperto ore, anheloſa. Cum haec omnia affectum neruoſum, hypochondriaco-hyſtericum dictum indicarent, et ſimul pro ſigno huius affectus pulſus in cordis ſcrobiculo obſeruaretur, aegro, die decimo, hypochondria, vti feminis

ſolitum

ſolitum eſt, faſcia ligantur: quibus vix peractis, qui antea, nictu capitis ad interrogata reſpondebat aeger, nunc diſtinctis reſpondet verbis: et qui per triduum, omnia excrementa, inſcius in lectum reddiderat, nunc ad ſellam pro alui depoſitione duci petit. Vinum aromatiſatum, ſaccharatum, additis granis aliquot caſtorei, ipſi offertur, ſed deglutire nequit; cum alias mulieres hyſtericae, communiter, poſt factam cum faſcia, cincturam, facilius deglutiant. Vmbilico imponitur Empl. de Galbano; oleumque Galbani nuchae illinitur; nihilominus loquendi impotentia augetur. Facies ipſi a natura, florida, maternae ſimilis, nunc magis rubet, non reſorbto ſatis a capite ſanguine. Manus frigent, et pedes, a ſtagnante, in abdomine ſanguine, valde calent. Pulſus fit exiliſſimus, et aeger die vndecimo moritur.

Febris catarrhalis generauit miliarem imperfectam, ſymptomaticam; ex raptis in conſenſum neruis meſentericis, ſymptomata hyſterica, pulſum epigaſtricum, cet. producentem. Similem caſum affert *Hamilton* hiſtoria vltima, de iuuene ſexdecim annorum, a febre maligna petechiali correpto, cum loquendi impotentia, et ſtupore; quae ſymptomata, per applicatum capiti aliisque artubus, veſicatorium, in tantum ceſſere, vt balbutire ceperit. Vrinam inſcie miſiſſe refert: tandem autem aegrum, elapſis duo hebdomadibus, coxis ſphacelatis mortuum fuiſſe. Praeter alexipharmaca, et corticem peruuianum, non datum aliquid fuit aegro, de antihyſtericis, maſculo

aegro,

aegro forsan non quadrantibus putatis. Conueniunt autem saepius in maribus oppressiones hypochondriacas patientibus, adeo vt felicius ferant interdum castoreum, quam feminae.

§. 5. Virgo quindecim annorum habitus corporis debilioris, tempore verno, prima vice, copiose, comite narium haemorrhagia, menstruatur. Adest simul alui adstrictio vndecim dierum, quae post varia frustranea, tandem fumo tabaci, in anum inflato, tollebatur. Ex his valetudinaria facta, cum secundae menstruationis terminus iuste non sequeretur, in febrem incidit acutam, cum dolore dorsi, susurro aurium, cephalgia, delirio risiuo, linguae tremore, conuulsionibus leuioribus, pulsu tremulo et repente, tendinum subsultu, sudore profusissimo, aluo simul diarrhaeode, vrina tamen cocta, vigiliis, et interpellata floccorum lectione. Omnia haec terrifica in primo morbi triduo. In pede itaque saphaena primo aperitur, cruribusque vesicatoria apponuntur. Motus conuulsiui inde rariores, nec, nisi sub motu corporis, excitantur. Datur mixtura ex antim. diaph. conchisque praeparatis, et aquis diapnoicis, cum spir. salis ammon. drachma. Pro potu est decoctum hordei cum cortice citri. Die quarto, cum de vigiliis quereretur aegra, nec pulsus rythmum, siue naturalem, siue febrilem rediret, sed tremulus semper esset, lap. cancr. gr. 10. sacch. saturni gr. 3. Laud. op. granum semis, in puluere dantur. Pulsus ad haec non adeo tremulus, ad minimum per duodecim horas remiserat

talis

talis esse. Nullus tamen somnus: ergo die quinto, tempore pomeridiano, lap. cancr. gr. XII. camphorae gr. I. Laud. op. gr. I. pro dosi porriguntur. Nullus ex his, per quinque horas, somnus, quin delirium auctum esse videbatur: licet conuulsiones minuantur. Excernit lotium inscia, et floccos diligenter legit: hora sexta tamen in somnum labitur, quatuor horas durantem, adeo placidum, vt dormienti pulsus explorari potuerit, qui nunc plenior, et tardior (non adeo celer ictu) et rarior (non adeo frequens ictu) erat, naturali propinquans. Post somnum sudor, hactenus profusus, moderatus. Delirium rarum. Motus conuulsiui, et floccorum lectiones rariores. Pulsus febrilis, celer et frequens, rythmicus. Vrina rubicunda absque sedimento. Die sexto datur idem puluis opiatus, absque insequente delirii augmento, cum eodem effectu somnifero. Die septimo vesiculae milares in collo et pectore apparent. Datur idem puluis ad somnum, cum optimo effectu, licet sub somno palpebrae multum nictitent. Die octauo, rec. aquae theriac. vnc. v. sal volat. c. c. gr. 3. spir. sal. amm. drach. I. Diascord. Frac. drach. II. M. capiat quouis bihorio cochl. vnum. Versus noctem datur idem puluis opiatus, additis, hac vice, sacch. saturni granis duobus. Post somnum placidissimum, et miliorum magnam efflorescentiam, die nono, vrina cum sedimento carnei coloris, ipsa superne tenuis. Delirium nullum, motus conuulsiui nulli, pulsus tamen febrilis, contractus, renitens, cum aurium susurro, et narium haemorrhagia. Ergo, ad sanguinis liberiorem

riorem circulum, per diapnoen promouendum, recip. aquae fl. ſamb. ceraſ. nig. ana vnc. tres, confect. alkerm. dr. tres, ſpir. nitri dulc. dr. 2. quauis hora cochleatim dandum. Verſus noctem autem, aluo per clyſterem fruſtra prouocata, ther. caeleſt. gr. vnum, laud. op. gr. ſemis, lap. cancr. gr. x. dantur. Nox inde inſomnis, niſi quod horis matutinis aeger dormiuerit, ſub modico ſudore. Die decimo alui obſtructio, quinque dierum, per clyſterem ſoluitur Erumpunt milia nunc noua, prioribus exareſcentibus, die exiſtente placido. Additur heſternae mixturae ſpir. bezoard. Buſſi drachma vna. Dies vndecimus placidus, poſt noctem ſomniferam, cum miliorum excretione. Dies duodecimus idem, ſub eiusdem mixturae vſu. Die decimo tertio nulla amplius efflorescentia miliorum, et priorum deſquamatio. Ergo, roborandi fine, rec. eſſ. cort. aur. vncia ſemis, ſpir. bez. Buſſi, et ſal vol. ol. ana dr. ſemis. M. capiat ter in die 30 guttas. Sub cuius remedii vſu plenarie conualuit.

Symptomatica habenda eſt haec febris miliaris, albae purpurae, ob turbatam corporis oeconomiam per haemorrhagias, vnde generis neruoſi adfectio ſubnata fuit, per miliorum excretionem ſe manifeſtans.

§. 6. Vir annorum ſex et triginta, habitus corporis tenerioris, et laxioris, tempore vernali, prius cephalalgia, mox laſſitudine, et febricula corripitur. Procedit nihilominus in publicum, et tertio die lectum petit. Quarto ſibi venam ſecari facit.

ſacit. Febris interim augeſcit cum cephalalgia et perpetuis vigiliis, vt die ſexto delirare inciperet: quo ipſo die ſimul purpura alba effloreſcit. Ob delirium continuans ſecunda vice vena ſecatur, clyſteres infunduntur, ſimulque decoctum tamarindorum cum nitro propinatur: aluo ſic abunde ſoluta. Sed delirare continuat aeger. Dantur aquae diapnoicae, cum abſorbentibus variis, ſed perdurat febris vehementia. Die octauo et nono, per adhibita remedia theriacalia, delirii ceſſatio, et pulſus fere naturalis. Continuant autem vigiliae, et aeger de ſtupore totius corporis, et cordis preſſione queritur. Redeunt itaque deliria die vndecimo, cum febre. Puſtulae miliares ſemper nouae, prioribus exareſcentibus. Medicus delirii cauſam in inflatione encephali haerere iudicans, tertia vice novem ſanguinis vncias, (quot iam bis effluxerant) mitti iubet. Applicantur ſimul clyſmata euacuantia, et die duodecimo, raſo capiti Oxoleum applicatur; ſimulque nuchae veſicatorium. Sed moritur aeger die decimo tertio. Ob cauſam pertinacis delirii, nec venaeſectionibus, nec clyſmatibus, nec tamarindinatis purgantibus cedentis, cadauer ſecatur, et ſequentia reperiuntur: 1) Intra cranium nulla inflammationis ſigna; 2) vaſa ſanguinea, tam meningum, quam cerebri, omne fere ſanguine deſtituta; 3) ſinus maiores durae matris ſanguine vacui; 4) in ſummitate cerebri, circa ſedem glandularum Pachionis, inter infractuum ſulcos, ſub pia matre, pauca lympha extrauaſata, vnde pia mater paululum tenſa, et turgens; 5) ven-

triculi bini laterales, plus quidem lymphae, ſolito, continebant, non tamen abundanter; 6) plexus choroiaedus pallidus, in latere dextro pallidiſſimus; 7) glandula pinealis lapillis referta; 8) ſubſtantia cerebri ſatis conſiſtens, medulla oblongata, notorie duriuſcula; 9) cor, pericardio, ex defectu humiditatis concretum; 10) ambo ventriculi cordis, atque auriculae, ſanguine carentes; 11) muſculi inter ſecandum pallidi, et ſicci; 12) ſtomachus cum inteſtinis abſque labe; 13) veſicula fellis iuſtae magnitudinis; 14) pinguedo circa pectus, et abdomen rara, et coloris quaſi Phthiſicorum, et hydropicorum; 15) ſumma, de reliquo, in toto corpore ſiccitas, et ſanguinis carentia.

Ad ſymptomaticas quidem referenda eſſet haec febris miliaris, quia febris vernalis primam ipſi praebuit anſam: verum grauis principii neruorum affectio, ex depauperatione ſanguinis, in corpore tenero, et omnium humorum, per ſudores, et purgantia, euacuatio, illam fere idiopathicam fecerunt. Remediorum theriacalium praeſens, die octauo, expertum auxilium, continuationem illorum rectius commendaſſet: illis enim mediantibus, humores cerebrum blande demulciſſent, nec ad conſiſtentiam ſubſtantiae eius, forte naturali denſiorem, vti in Phreneticis ſaepe eſſe ſolet, tranſire ſiuiſſent. Febres acutae ſaepe, per ſe, omnem exhauriunt ſanguinem.

§. 7. Femina maritata, habitus corporis cholerici, annorum triginta tres a tuſſi ſicca, et ſcabie,

ſcabie, per aliquot menſes iam vexata, nunc, poſt hyemem rigidam, verno tempore, bis menſtruationem paſſa eſt, ſolito pauciorem. Sic valetudinaria reddita horrore corripitur, cum inſequente aeſtu febrili. Orthoſtadia tamen manet per biduum, donec valida oppreſſio pectoris illam lectum petere cogit. Medicus tertio die vocatus pulſum celerrimum, et ſimul exilem deprehendit. Vrina eſt tenuis, abſque ſedimento. Aeſtus volatici. Sudor nullus. Dantur temperantia, cum ſalibus mediis, et die quarto vena in pede ſecatur. Eodem die purpura, partim rubra, partim alba in collo adparet. Datur verſus noctem anodynum, ex quo per duas horas dormiuit. Die quinto continuatio aeſtus febrilis. Clyſma emolliens iniectum feces educens pectoris oppreſſionem minuit. Die ſexto noctem valde aeſtuoſam ſe habuiſſe enuntiat aegra. Applicantur tibiis veſicatoria, et iterum clyſter emolliens. Emulſio datur ex amygdalis, ſemin. frigidis maj. et ex drachma vna ſem. violar. ex qua binis vicibus ſumta, ſeptem ſequuntur ſedes. Veſicatoria, quae ante has alui euacuationes valde vrebant, nunc vrere deſinunt. Interim verſus veſperam nullus ſudor, anxietas maior. Puſtulae miliares perſtant, et exareſcunt, nouis ſemper ſuperuenientibus. Cephalalgia moderata; ſuſurrus aurium vero valde moleſtus. Die ſeptimo aeſtus febrilis ſummus, temperantibus, et nitroſis, diluentibus non cedens. Nullus ſudor. Vrina clara. Vigiliae. Die octauo ſanguinis ex naribus ſtillicidium paruum. Pro potu eſt Thee, vel aqua, in qua panis

maceratus. Aluus diarrhaeodes; hinc nullus ſudor. Fluente ex veſicatoriis copioſo ſero, verſus noctem datur laud. op. gr. ſem. camph. gr. 1. croci gr. 4. cum lap. cancr. citr. Die nono nocte nullus ſomnus, nec ſudor. Tentatur diapnoen excitare aquis diapnoicis, parciſſime liquore C. C. ſucc. imbutis, ſed renuit aegra. Poſt meridiem pulſus celerrimus et ſubtiliſſimus. Sequitur mox delirium, et paulo poſt vomitus, primo materiam cruentam, ex narium ſtillicidio forſan reſtitantem, mox autem ſaburram bilioſam explodens: cui ſtatim agones ſuccedebant, et vitae finis. Corpus per multas horas remanebat calidiſſimum, gangraenae viſcerum ſignum.

Quibus iam valetudinariis accedit febris, cum inſequente excretione miliorum, illa miliorum excretio ſemper ſymptomatica eſt habenda, et quidem pro ſymptomatum conditione, et neruorum robore, maxime vero viſcerum inflammatorum ſtatu, plus vel minus periculoſa.

§. 8. Vir annorum ſex et triginta Eccleſiaſtici ordinis, temperamenti melancholici, et vitae ſedentariae. Hinc multis turbis hypochondriacis obnoxius, tempore verno corripitur ab horrore febrili, cum inſequente aeſtu. Febres intermittentes tunc temporis valde graſſantes, horrorem huius eſſe naturae interpretabantur. Perdurante autem aeſtu, cum debilitate, et pectoris oppreſſione, febrim acutam ſub herba latere judicabatur: ipſamque febrem miliarem ante fores eſſe

ardores

ardores brachiorum et vigiliae cum inquietudine indicabant. Apparebant itaque die quarto, milia, in collo, pectore et manibus. Aeger die quinto, de ſanitate recuperanda deſperans, vſum ſacrae ſynaxeos vrgebat. Quia autem mitior erat febris, delirium nullum, appetitus in totum non proſtratus, illam differendam eſſe ſuadebatur, donec tandem, pro aegri vrgente voluntate, die ſeptimo, his ſacris vteretur, cum tanta rerum mundanarum reſignatione, et coeleſtium cupiditate, vt peracta ſynaxi, ſe mortuum, et quoad animam coelo, et ſinui Abrahami traditum, firmiter crederet. Pulſus interim huius pſeudocoelicolae erat moderate febrilis; veſiculae miliares perſtabant ſub ſudore moderato, et putatitium cadauer interdum leui ſomno refocillabatur. Quando mortuo huic allocutio fiebat, vel potus offerebatur, ventriloquus reſpondebat, ſe mortuum eſſe. Cum regeretur, inſolitum eſſe, quod mortui reſpondeant ad interrogata; hoc nullatenus aiebat, pro reſponſo habeatis, ſed pro confuſo pulmonum ſonitu, et ſimul cadaueris ſui ſepulturam vrgebat. Interim bonis verbis ſaepe cedens hoc cadauer, ſemper aliquid oblati, grati potus hauriebat, quin poma oblata belle comedebat, et tandem applicationem enematis permittebat. Aluo per hoc bene educta, vigiliae omnes placido, et naturali cedebant ſomno; poſt quem hic demortuus ſe inter viuos rurſus eſſe nullus dubitabat, moxque ſanitati redditus, delirium ſuum cum amicis ridebat. Eandem ſcenam, aliquando, femina viginti quinque anno-

rum, angina, cum paſſione hyſterica, laborans, poſt vſum ſacrae euchariſtiae, ludebat, et ſe mortuam eſſe credebat: ſed citius, paucarum horarum ſpatio, rediuiuam ſe eſſe intelligebat. Turbis hypochondriaco - hyſtericis obnoxiis ſubiectis, febris miliaris ſemper ſympomatica eſt habenda.

§. 9. Femina quaedam corripitur ab horrore febrili, cum inſequente aeſtu, et cephalalgia intolerabili. Vena in brachio ſecatur, abſque mali moderamine. Die quarto menſtrua, et quidem iuſto citius accedunt, et die ſeptimo veſiculae cryſtallinae numeroſiſſimae. Accedit delirium, cum tendinum ſubſultu, et ſomnolentia cum ſtupore. Dantur alexipharmaca. Die decimo quarto linteamina capitis mutantur. Recrudeſcit cephalalgia atrox, febriſque denuo exarſit. Manet aegra per triginta dies immota in lecto, et omnia excrementa, alui et veſicae, inſcia exonerat. Perſtant ſemper veſiculae numeroſiſſimae, et tandem circa trigeſimum diem albeſcunt, aegraque ſimul ex veterno, ad viuos, et ad ſanitatem redit. Attamen, nodi in digitis poſtea exoriuntur, morbum hunc generis neruoſo - arthritici eſſe declarantes; ideoque hanc febrim miliarem in numerum idiopathicarum referentes. Ephem. N. C. D. III. A. VII. VIII. Obſ. 206.

§. 10. Vidua a maculis, morbillos mentientibus, comitante tamen febre, corripitur. Reſtituitur ex hoc morbo, in tantum, vt extra lectum eſſe potuerit. Conuellitur autem denuo ab horrore

rore febrili et tertio die vesiculae miliares apparent. Artus dolent, quasi ab arthritide. Die quinto superuenit delirium, vesiculis disparentibus, cum vrina copiosa, ceu naturali. Pulsus in momento fit debilior, respiratio tardior, et intra quinque horas, hac morbi catastrophe, ad plures abit. Ephem. Nat. C.

Idiopathicam declarant, dolor artuum et milia subito excreta. Interim simul extremitates neruorum a maculis vicinis inquinamentum quoddam hausisse videntur milia cum manifesta arthritide vide §. 15.

§. 11. Quadragenarius medio Maii mensis sentit se male habere, cum horripilatione, et lassitudine. Licet etiam crura leuiter, a spasmo quodam dolerent, nihilo minus postero die, aurae se exponit frigidae. Domui redditus cephalalgia laborat, et coryza. Accedebat mox Erysipelas totius faciei, quod vnicae venaesectioni cedebat. Aderat autem die sexto febricula, et quidem quotidiana. Licet Erysipelas totum dissolueretur, febris die octauo maior reddita, cum inquietudine, grauitate capitis, et vagis corporis doloribus, largiorem venaesectionem requirebat. Durabat tamen febris adhuc quatuordecim dies, cum horripilationibus irregularibus, aestu, sudore, anxietatibus, vigiliis, vel insomniis spectra alba, quae aegrum occupare vellent monstrantibus. Dolores sentiebat, quasi corpus cum aciculis perfoderetur. Maximos dolores et cruciatus ipsi dabant formicationes digitorum, manuum

pedumque, cum impotentia illorum extremitates mouendi, cum ſpaſmis tamen, a quibus nullatenus leuabatur, quoad crura, niſi quando haec vi aliqua complicarentur. Augebantur hi ſpaſmi ſub morbi ſucceſſu, cum ſudore foetido, et acido. Die morbi vigeſimo ſecundo tandem milia apparebant, cum pulſu pleno et forti, non tamen valde febrili, lingua bona, itidemque ore, ſimul abſque capitis, pectorisque dolore. Moleſtae autem erant puncturae in locis, in quibus puſtulae erumpebant miliares. Hae, durantibus tribus nycthemeris per totum corpus apparebant, minus confertim autem in pedibus et manibus, in quibus tamen inſultus doloroſi maximi fuerant. Poſt dictum tempus exſiccari incipiebant, et aeger ſpatio tres et triginta dierum conualeſcebat. Vſus fuerat durante hoc morbo ſex purgationibus, per interualla tamarindis, manna, et ſale vegetabili, datis. Quoties illas ſumebat, totus valde debilis euadebat, ſed die inſequente bene ſe habebat. Potus ipſi fuit, decoctum hordei, c. rad. taraxici. Ad ſopiendos dolores, et ad ſudorem vſus eſt infuſo flor. papav. rubri. In fine curae aeger per quatuordecim dies, quolibet mane, decoctum de collo veruecis, cum acetoſa, naſturtio, cichoreo et pimpinella bibit. Fere eodem modo curatus eſt hic aeger, quo vir triginta ſex annorum §. 6. Differentia effectus autem fuit in differentia roboris naturae. Eryſipelas faciei quidem dolorem obtuſum capitis habet comitem, ſed raro deliria, nunquam grauia. Infuſum ſopiens hic melius adhibitum fuit, quam in allegato aegro perpetua refri-

refrigerantia ob praeſumtam encephali inflammationem. Nec male, inprimis ipſis aegris poſcentibus, et in ſtatu febrili mitiore, iuſcala carnea exhibentur, communicant enim ſanguini et neruis volatile quoddam, macrum quidem, pro tempore tamen ſufficiens. Idiopathicam tamen haberem potius hanc purpuram albam propter moram, quam exercuit ſeram ad excretionem, et propter ſpaſmos vehementes qui praeceſſerunt, quam ſymptomaticam.

§. 12. Quadragenarius, tempore hyberno febrim continuam, cum multo ſudore, et vigiliis patitur. Die quinto adeſt purpura pellucida in fronte, pectore, et manibus. Dantur nitroſa, aluusque lenibus laxantibus ſubducitur. Die ſeptimo accedit colli ſpaſmus, ex quo caput modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum trahitur, vſque ad diem decimum, quo aeger moritur.

Idiopathicam fuiſſe hanc febrem miliarem quis dubitabit ex intemperie ſucci neruei, muſculos colli adeo peruerſe agitantis, et medullam oblongatam cum ipſo cerebro quaſſantis.

§. 13. Vir annorum triginta quinque, de dolore in nucha queritur, quo perdurante, poſt aliquot menſes, paraplegia, paralyſi truncali corripitur. Decumbit miſer per aliquot ſeptimanas, donec febre, macie, et tandem ſphacelo partium inferiorum, pro huius morbi natura, moreretur. Quatriduo ante mortem, a paralyſi hac, (tono forſan a putredine volatili partium ſphacelata-

 rum,

rum, reſtituto) liberatur: in facie autem, fronte, et nuchae parte ſuperiore, quatenus ſalubritas et vita in his partibus fuit, veſiculae miliares exſurgunt. Poſt mortem in locum, ante dolentem, inquiritur, et ecce, ſecunda colli vertebra tota carioſa deprehenditur.

Idiopathica fuerunt haec milia a neruis ſalubribus compreſſis ſuccum ſuum halituoſum eructantibus. Eodem modo aliquando in infante oris tetano mortuo, maxillarum ſpaſmo, in facie apparebant.

§. 14. Vidua annorum triginta quinque, febre lenta hyſterica, ex fluore menſium irregulari laborabat, coniunctis variis ſpaſmodicis affectibus, doloribus abdominis, oppreſſione pectoris, aluo adſtricta capitis ſenſu grauatiuo, et vigiliis. Data draſtica purgantia, et emmenagoga omnia in peius vertunt. Frigus cum calore alternant; maxime autem frigus ceruicem et verticem, ſaepe cum animi deliquiis, occupat. Cibi omnes, ſicci, et fluidi anguſtias, vt praecordiorum oppreſſiones pariunt. Febriculae lentae coniunctae ſero lactis obuiam itur, nunc acidulo, nunc dulci, et licet menſes per amaricantia lixiuioſa, ſuo redirent tempore, ſudoresque profuſi remiſſiores eſſent, aluus etiam melius reſponderet, ſimulque ipſa febricula mitior fieret, nihilominus haec tragoedia duodecim durabat ſeptimanas. Tandem cortex peruuianus, ceu roborans, reſoluens, et ſedatiuum, in febribus lentis, et intermittentibus adhibetur, quo impuritates, ſtagnantes

et

et partes ſolidas adficientes per cutis vaſcula eliminari poſſint. Datur igitur, iuncta limatura martis, et ſimul interdum iuſcula auenacea, interdum gallinacea. Quo vero ita reſoluti humores eo milius ad cutim determinarentur, *ter in die, totum corpus, panno laneo, vapore ſuccini imbuto, fortiter, per integram horam frictum eſt.* Sic octiduo elapſó, iam in abdomine exanthematha apparebant; elapſis autem, ſub hac interna, et externa medicina, *tribus ſeptimanis*, vniuerſa corporis ſuperficies purpura veſiculari confertim obſeſſa fuit, et aegra per dimidium annum miſere adflicta, ſic conualuit. Ex Primit. Med. Polon. Vol. I. p. 111.

Ad plus quam gymnaſticam medicinam, hanc violentam manualem referre licet, et excretionem hanc pure artificialem appellare; quacum aliqualiter conueniunt illae productiones, quas capite primo §. 7 et 8. allegauimus. Auctor putat per haec exanthemata malignum quid e ſanguine eductum fuiſſe. Verum quis crederet, parciſſimam hanc halituoſam materiam, in ſanguinis maſſe detentam, febris adeo grauis, et diuturnae cauſam fuiſſe, et vnice adeo violentam excretionem, per tres ſeptimanas productam, exſpectaſſe. Neruos, violenta hac frictione animatos, et excretione elaſticae cuiuſdam materiae a ſpaſmo liberatos, ſanguini prius circulationem ſe- et excretoriam, et tunc aegrae ſanitatem reddidiſſe, in patulo eſt. Ipſae vaſorum ſanguiuehorum extremitates, a ſanguinis aliquali ſtagnatione

tione liberatae ſunt, et vna cum neruis, per frictionem ſale vol. ſuccini animatam rem perfecerunt. Dubium ſane manet, et reſtat, an halituoſa materia ſub veſiculis latitans male fuerit indolis, vel illis ſimilis, quas allegauimus, per ſaponem et emplaſtrum prouocatis. Egregie autem adhibita fuit haec methodus, non ſolum magna ex parte antifebrilis, quam ad vires vitae ſuſtentandas aptiſſima. Dudum clamatum eſt contra purpuram albam artificialem, nempe illam, quam crediderunt medicos remediis alexipharmacis producere; haec artificialis autem non damnanda eſt, et multis conueniret aegris.

§. 15. Vir annorum triginta ſex, robuſtus, floridus, menſe Ianuario, arthritidem patitur, in genubus et ſcapulis, vagam. Superuenit febris. Secatur vena. Dantur nitroſa, aliaque antifebrilia. Durat tamen malum, cum febre, ſudore, pruritu, anxietatibus multis, vrina pallida. Die decimo aeger induſii mutationem poſcit; obediunt adſtantes; caleſit nouum quoddam: vix autem vetus ſordidum a corpore detractum eſt, cum totum corpus a veſiculis miliaribus obſitum deprehenderetur. Prius itaque induſium in corpus reponere cupiunt; renuit autem aeger, et nouo induitur. Refocillatus bene habet; perſtant veſiculae, et febris tandem cum illis et arthritide feliciter cedit. Saepe purpura alba ſe iungit idiopathice arthritidi. Ob induſii innoxiam mutationem hunc caſum ſolum allegare placuit. Sequens caſus hoc reſpectu notabilior eſt.

§. 16.

§. 16. Vir annorum triginta, texturae tenerae, femineae, effeminatus, *Hamiltono*, viuaciſſimi tamen temperamenti, luis venereae reliquiis, cum dolore in perinaeo laborat. Poſcit ſibi ſaliuationem mercurialem. Subit illam mediante mercurio dulci, quotidie gr. v. dato, et ſpatio quatuordecim dierum illam abſoluit. Cum hanc quietiſſime in lecto, ſub potu copioſiſſimo decocti auenacei mucilaginoſi, ex alica parati ſuſtinuerat, ſudor inde commotus magnus, magnum pruritum in cute excitabat, praeſente adhuc, ex ipſa ſaliuatione, febre. Diarrhaeam ſimul patiebatur, vel adhuc ex mercurio, vel ex copioſo potu decocti auenacei mucilaginoſi. Singulare autem comitabatur diarrhoeam phoenomenon, quod poſt excluſas feces, gelatina quaedam pellucida, ſpermatis ranarum conſiſtentiae (§. 1.) interdum flaueſcens, interdum autem virideſcens, ſequeretur. Finita ſaliuatione, aeger in lecto adhuc morans, pulſum moleſtum in hypochondriis, et praecordiis ſentit, vna cum magnis anxietatibus (§. 4.) qui aegrum antea diſerte Atheum, pro nunc Theophobum faciebant. Aluus per multos dies fuerat obſtructa, ideo clyſmate emolliente ſoluebatur. Aeger pruritus magni impatiens, balneum tepidum in vanno intrat; ſub introitu autem corpus ſuum puſtulis miliaribus totum obſitum eſſe obſeruat. Vt erat homo audax, propoſitum non mutat, ſed lauari et fricari totum corpus facit. Sic bene lotus et frictus abolito infenſo pruritu, rectum repetit, adeo recreatus, vt vſum balnei ſatis extollere nequi-

nequiret, et quidem cum insequente euphoria, et pristina mentis impia conditione, ex qua etiam, non diu post, autocheiria periit.

Symptomaticam iudico hanc miliorum excretionem, ex febre per saliuationem excitata; quae orgasmum succi neruei induxit, vt eius halitus vaporosius in illorum extremitatibus mediantibus vesiculis apparuerit. Symptomata autem, quae patiebatur, hysterica dicta, theologicas illas anxietates extorserant; ex symptomatibus autem elucescebat spasmus neruorum mesenterii, omne systema neruorum, quin ipsum principium, cerebrum, in consensum trahens.

§. 17. Femina maritata a delirio melancholico corripitur, ex quo gemebunda fit, et anxia, homines et lucem fugiens, quin de animae salute desperans. Datur vomitorium, martialia, aperientia, aliaque remedia conuenientia, sed frustra. Pulsus ipsi restat durus, et celer febrilis; imo interdum intermittens, cum cardialgia. Datur itaque sal volat. succini, cinnabaris, nitrum cet. Sub his sudor elicitur, et simul in praecordiis purpura alba. Qua copiosius erumpente, febris, cum delirio melancholico cessat, et sic mentis; et corporis sanitas successiue redeunt. Ephem. Nat. Cur. Cent. Obs. 22.

Symptomatica et haec fuit febris miliaris, ex stagnatione sanguinis in visceribus hypochondriorum nata, neruos mesenterii in spasmum etiam in praecordiis, vti in praecedente casu, procul dubio, pulsantem, agente, eoque ipso, non solum

lum itidem cogitationes de ſalute excitante, ſed ſimul orgaſmum ſuccini neruei, ad halituoſam in peripheria excretionem.

§. 18. Neonupta, viginti annorum, nocte a celebratis nuptiis media, ſine cauſa ridere, mox quieſcere, rurſuſque ridere incipit. Cum riſum centinere ſtudet, praecordia opprimuntur cum anxietate. Inſequitur febricula. Dantur diluentia, aquae diapnoicae, puluis antepilepticus, liquor miner. Hofmanni, et alia. Riſus pedetentim minuitur, corpus madore afficitur, et tunc in pectore, iugulo, et facie, purpura rubra et alba apparent. Commode itaque ſub diaeta, per iuſcula diluta carneae, cum incoctis radicibus ſcorzon. herb. chaerefol. aliisque conualuit. Act. Heluet. Vol. I. p. 47.

Quis hanc excretionem miliorum idiopathicam fuiſſe negabit, et quidem ex irritatis neruis vterinis, qui non ſolum intercoſtales ad riſum coëgerunt, ſed etiam omnem neruorum ſuccum ad orgaſmum halituoſum excitarunt? Notandum etiam, quod haec excretio vnice partes ſuperiores affecerit, quae in tali venerea irritatione, ex ſanguine per moram, circa reſpirationem ſtagnante, rubeſcunt et turgeſcunt. Neruos vterinos, illos intercoſtales, ad cachinnum excitaſſe, ſub menſtruatione, praeuia iectigatione brachiorum et crurum, in virgine octodecim annorum, a conuulſionibus ſubinde vexata, lege in Collect. Vratisl. Tent. 29. p. 323.

§. 19.

§. 19. Feminam teneram, lactantem, annorum viginti duo, nona ſeptimana, a partu felici, inuadebat purpura alba, cum rubra, coniunctis doloribus membrorum lancinantibus, inprimis femoris ſiniſtri, narium haemorrhagia graui, diarrhaea, diabete, et quidem omnes hae excretiones violentae, non ſolum ſine noxa, quoad febrim exanthematicam, et ipſa exanthemata, ſed et quoad ſtatum aegrae grauidum, quia ante morbum impraegnata fuit iudicata, (elapſis enim nouem menſibus, iterum feliciter peperit filium) adeo, etiam abſque noxa embryonis, vtero vix traditi. Act. Heluet. Vol. II. p. 20.

Originem eandem haec febris miliaris cum praecedente habuit, quia mox ab impraegnatione exorſa fuit. Spaſmo vario adfectum fuit ſyſtema neruoſum, nunc in ſyſtema vaſculoſum ſanguinis agens, nunc in inteſtina, nunc in organa diuretica, ipſum ſucci ſui motum inteſtinum, et alterationem pertinaciter prodens, eructando ſimul vaporoſum quid per cutim. Quod embryo germinans non fuerit protruſum, id non mirandum, quia in vterum non egit ſpaſmus, ſed extra illum. Notum praeterea, embryonem in primo alteroue menſe non facile cedere meretricum vomitoriis, et largis venaeſectionibus, cum poſt tres vel quatuor menſes, ſola retentio ſpiritus ſub niſu ſublati oneris illum protrudat. Haemorrhagia narium in principio variolarum valde ſalutaris eſt, cur non in hac febre? Quoad diabeten vide Cap. II. §. 4. Ante

multos


multos annos hic moriebatur Neonupta, ſecunda a Nuptiis ſeptimana. An febre miliari, ignotum manebat. Plures Neonuptarum tales caſus, nouum genus febrium Neonuptarum miliarium conſtituerent, et medicorum mentes ad meditationes quasdam prophylacticas antenuptiales perſuaderent.

§. 20. Febribus inflammatoriis interdum ſe iungit purpura alba: de quo teſtantur Eph. N. Cur. Cent. II. in App. p. 2. quod, ſub initio huius ſeculi, menſe Februar. pleuritides epidemice graſſatae fuerint, diligenti pectoralium et diaphor. temperatorum vſu, etiam ſine venaeſectione curabiles: quibus, in nonnullis, menſe Aprilis, cum iam in decrementum vergeret epidemia, noua febrilis efferueſcentia ſuperuenit, cum eruptione puſtularum aquearum per totum corpus, maius periculum minitantium; aegrotis tamen, per continuatam alexipharmacorum blandiorum adhibitionem, intra primum, quandoque intra ſecundum octiduum reconualeſcentibus. Quemadmodum ſupra, Cap. II. § 9 MENZELIVS purpuram albam hydatides cryſtallinas appellat, ita hic, puſtulae aqueae, ſine dubio, veſiculae noſtrae miliares habentur. Quia hae pleuritides benignae fuerunt, ita purpura alba, periculum tantum minata eſt, nec morbo malignitatem addidit: non aliter, quam in variolis benignis, veſiculae miliares periculum non augent. Vbi autem morbus primarius grauis eſt, et ex conſtitutione aegri, vel ex ſanguinis craſi acriori ſyſtema neruoſum ſuum nutrimentum et ſuccum haurit, ibi ſcena

periculi plena aperitur: nerui enim vehementer ſub febre inflammatoria ſimul vruntur, et ſub ardentiſſimo ſudore pruriunt: deliria phrenetica et conuulſiones cerebrum, et ſyſtema neruoſum agitari indicant, dum pars inflammata in necroſin abit, illamque maſſae ſangineae communicat. Syſtematicae ſunt iudicandae hae febres miliares in caſu vtroque. Huc referenda ſunt benigna illa milia Coll. Vrat. Anni . . . aquoſa etiam dicta, Waſſer-Frieſel.

§. 21. Aliud exemplum febris inflammatoriae, cum excretione purpurae albae, exitus contrarii. Vir annorum quadraginta, habitus pleni, teneri, feminei, diaetae vinoſae indulgens, ex cibo quodam pingui male habens, reuomito autem rem optime ceſſiſſe putat. Obit itaque negotia ſua ſub aura frigida, febrili aeſtu iam abunde correptus, per triduum. Decumbere tunc coactus, ob aeſtum magnum febrilem anxietates accuſat, et pectoris oppreſſiones, cum inteſtinorum leui dolore. Vena ſecatur, antiphlogiſtica adhibentur, enemata emollientia applicantur; ſudat nihilominus valde, et obtegi ipſe cupit, id quod, quia febris inflammatoria inteſtinorum habetur, reprobare, auramque peripheriae corporis admittere, diapnoen impedire, iniuſtum fuiſſet. Pruritum ſimul in cute ſentit, qui ſudoris habetur effectus, et flocci habetur. De magna tamen ſimul debilitate queritur aeger. Excretio vrinae modica, et abſque ſedimento, vti in turbis inteſtinorum eſſe ſolet. Inter alia conuenientia

tia remedia, etiam cortex peruuianus, ad inteſtinorum vitam conſeruandam, in ſubſtantia, aliquoties dabatur. Verum die decimo ſingultus accedebat; et cum die inſequente enema applicandum cenſeretur, et apparatus ad eius applicationem fieret, ecce ſphincter inteſtini recti totus, paralyſi adfectus, hiabat, et ſuſpicionem de gangraenae affectis inteſtinis ſuggerebat. Aeger die duodecimo rugiente ante multum ventre, moriebatur. Cum denudaretur tunc corpus, mirum copioſis illud obſitum offendebatur miliis; negligenter certe, ad quorundam praecepta, habitis, quia poſt mortem primo in conſpectum venerant. Symptomatica etiam certo fuit haec excretio, febri inflammatoriae iuncta, ex neruis aeſtu inflammatorio ſimul aeſtuantibus eructata, morbo primario autem ſane plus damni, quam auxilii praebens.



CAPVT IV.

De natura febris miliaribus ex ſymptomatibus eruta.

§. I.

Praemiſſis ſic multis caſibus, et hiſtoriis, exanthemata miliaria, tam abſque febre, quam cum febre exacte depingentibus, ad cognoſcendam huius morbi naturam nos accingimus. Quod itaque exanthemata attinet, quae Cap. I. abſque

febre apparentia allegata ſunt, et quidem primo, quae infantibus nouiter natis apparent, illa nihil aliud ſunt, quam veſiculae, in apicibus minimis neruorum, ex plethora et abundantia nutrimenti neruei, natae; dum enim illae nunc fluido illo mucoſo, in quo delituerunt infantes, et ex quo ipſae apices aliquid nutrimenti forſan ſorbſerunt, carent, bibitus ille ſubtiliſſimus ſuccus, in extimis fibrillis papillarum neruearum haeret, et has format veſiculas, mox, epidermide ſolideſcente delendas. Exareſcunt autem, quin ſphaceleſcunt quaedam harum extremitatum, vel apicum, et tunc pruritum creant, ſub comedonum nomine, et vigilias quidem inducunt, ſed nunquam atrophiam, ſolae. Corpuſcula enim facta difformia, nigra, quauis mucilaginoſa materia in balneo extricari poteſt. Mellis enim ſolius neceſſarius putatus vſus, has extremitates viuos eſſe, et dulcedine proliciendos, finxit.

§. 2. Exanthemata miliaria, quae § 7 et 8 cataplaſma manui applicitum, et quae emplaſtrum frontale euocauit, vnice per emollitionem fibrarum neruearum generata ſunt, qua mediante ſuccus neruorum ſubtiliſſimus in extremitates penetrauit. Eodem fere, licet violentiore modo, quo Cap. II. §. 4. eadem, aqua calida et frictione elicita eſſe legimus.

§. 3. Quae Cap. I. §. 6. allegamus infantes, apparenter non aegrotantes, exanthemata ſua, ſub febricula quadam extruſiſſe, veroſimile eſt, placidiſſima tamen, in ſenſum non incurrente.

Quae

Quae trigeminorum abortum, §. 10. fecerat femina, miliis ſuis exanthematicis, conditionem neruorum, quam ſub hoc morbo ſubeunt et patiuntur, in fine eius abunde demonſtrauit. Nam, quemadmodum, quando hae excretiones abſque febre, et abſque alio quodam vehementi ſymptomate oriuntur, vti in infantibus; (niſi clandeſtinum oris tetanus, puſillos occupantem eo numeres) benigna ſpontaneitate ſuccum neruorum excerni iudices: ita, vbi anxietates comites ſunt, et febris, ibi, vel generari in neruis aliquid heterogenei, quod cordis et diaphragmatis neruos per conſenſum afficiat, quin ſaepe cerebrum, et ipſam mentem moueat, vel illos ex vitio oſcillationis nupero laborare, et vtroque modo ad ipſius ſubſtantiae viſibilem, vel inuiſibilem alterationem. Equidem in femina, trigeminorum matre, nerui magnam ſubſtantiae ſuae alterationem paſſi ſunt: robur tamen naturae, in illis reſtans, ſub induciis intercalaribus, nouo ſpirituoſo nutrimento locum dedit, dum prius corruptum, partim per apices neruorum, partim per poros, aliaſue vias excretum eſt. Vbi autem tales induciae deſunt, vti in femina Cap. I. §. 12. ibi natura cogitur morti triſtia illa trophaea linquere. Tunc rami maiores neruorum facile maius contrahant vitium, et cerebrum in conſenſum rapiunt, non aliter, quam vbi vulneratis, et in necroſin abeuntibus neruis, motus conuulſiuis, tetanus oris, et apoplexia ſuccedunt.

§. 4. Rarior eſt per Dei gratiam nobis febris miliaris, veſicularis purpura alba dicta, prae ceteris exanthematicis; alias exitialior forſan foret, quam variolae, quia illa ſemper principale vitae fundamentum, ſyſtema neruoſum impugnat, ſit idiopathica, ſit ſymptomatica. Vtraque interdum benigne, vtraque maligne ſe gerit, pro conſtitutione ſpeciali aegri. Oriatur vel ex viſcerum quorundam morbo primario, vel ex proprio neruei ſucci, vel vaginae neruorum ſpaſmo, vel nutrientibus eius humoribus. Medici Poloni, in primitiis ſuis, illam fere ſemper ſymptomaticam ſtatuere videntur, dum purpuram veſicularem, Iudaeis quotannis epidemicam, et omnibus fere illorum morbis ſuperuenientem ſtatuunt. Et, ſi Litteraria Gottingenſia producere licet; (1760. n. 31.) illa ex auctore gallico *Lietaud* allegant, purpuram eſſe accidens morbi, naturam mali non mutans, et a natura ſudoris dependens. Dicerem a natura ſucci neruei. Natura ſudoris dependet a natura ſanguinis, cuius qualitas poteſt eſſe pituitoſa, vel tenuis, acida, alcalina, et ſimul elaſtica, morſicans. A natura ſanginis vero dependet etiam natura ſucci neruei. *Hamiltonus* vbique, in Tractatu ſuo de febre mil. idiopathicam producit, et quidem ex ſpirituum defectu, et nimio ſero acido, neruis communicato: ideo alcalinis vtitur remediis, et ſudoriferis. *Allionus* ignotam ſinit rem eſſe, an miaſma ipſi venenoſum, excretio miliaris, ſit alcalinae, an acidae, an animatae indolis (Comment. de rebus etc. Vol. 8.). Fauet tamen acidis remediis potenter reſoluente medi-

medicina opus eſſe ad denſitatem ſanguinis reſoluendam, et in hunc finem animum ad mercurium ſublimatum corroſiuum adhibendum aduertit. Morbum hunc hydrophobiae ſimilem eſſe iudicat, et ideo vſum moſchi, cum cinnabari, medicinam Chinenſium commendat. Incertum ſane eſt, an acredine acida, alcalinaue, vel ſalina laboret ſanguis, ſiue febris ſit neruina idiopathica vel ſymptomatica. Qualis ſanguis, talis neruorum ſuccus, qui raro per ſe hunc morbum generat, idiopathicam febrem miliarem generat, niſi vti vidimus, interdum animi commotione, terrore etc. fuerit indolis cuiuſque, functionibus corporis adaequatus. Vnde ipſi, ſic prouocatus, adeo ſubita venenoſa indoles? Malo cum veteribus, ignotam qualitatem humoris peccantis, intemperiei titulo vocare, quam falſam, incertamue fingere, et hoc eo magis, quoniam hic non alterantibus, ſed roborantibus neruinis, et diluentibus leuiter diapnoicis, agendum erit. Quas idiopathicarum nomine inſignauimus, et quas ſymptomicarum, vbique ad allegatos caſus cum rationibus addidimus.

§. 5. In febris miliaris naturam inquiſituris, primo, ex allatis hiſtoriis attendendum erit, quod haec neruorum febris, ſiue idiopathica, ſiue ſymptomatica, et alii ſuperueniens ſit, maxime infeſtet ſexum muliebrem, tam extra puerperium, quam in puerperio. Vel, ſi afficit maſculinum, quod afficiantur, communiter, illi habitus feminei. Hinc ſaepe viri tales hac febre laborantes

aperte ſimul, hyſtericum, quod vocant, malum patiuntur, vti id Cap. III. §. 4 16. notatum. Laxior femineus habitus autem ramificationibus neruorum pluribus abundat, et abundare a priori facile creditu eſt, quia ſenſibilior hic habitus eſt prae illo ſtricto. Huius habitus viros audiui aliquando conqueri de ſenſu illo ſtuporis pungitiui in digitis, *Granſ* nominato, ab *Allione*, abſque tamen inſecuta febre miliari, et in bene valentibus. Quantis itaque morbis neruoſis feminae prae viris, afficiantur variis, quis ignorat. Aliunde autem morbi neruoſi originem non capient, niſi ex ſucci neruoſi, et humorum, quae vaginam illorum nutriunt, diſpoſitione, temperie, deprauatione. Symptomatum conditio et natura, cum in noſtrae inquiſitionis ſcopum eſt indaganda, miramur in his primario, quod hanc febrim, vel in ſtantem miliorum excretionem, principaliter *Anxietates et pectoris oppreſſiones* indicent, iuncta communiter neruorum in brachiis formicatione, quin pruritu: quae ipſa formicatio etiam aliquando in pedibus ſentitur. Equidem, anxietatum, et pectoris oppreſſionum variae ſunt ſpecies, et originum variarum: praecedunt, vel comitantur interdum paroxyſmum febris intermittentis; corde, et hypochondriorum regione, per neruum diaphragmaticum, pariſque vagi ramificationes, conſtrictis. Conſentientes thoracis nerui reſpirationem opprimunt, et ex illorum apicibus, communiter, in pectore maxima fit miliorum excretio. Alia vice anxietates ex neruis cerebri, menti inſeruientibus primariis, ob cauſas morales ortas,

videas

videas neruos, meſenterii tumultum in ſodalitium vocare, et omnia abdominis viſcera, cum anxietatum magno augmento, ad lypothymiam vſque commouere, et verum σπλανγνιζειν producere. Adde illas anxietates, quas vulnera et contuſiones capitis generant, cum ſuſpiriis, et pectoris oppreſſionibus, quales et hic, in febribus miliaribus, inprimis in idiopathicis, vtpote cerebro, et neruis magis propriis attendendae ſunt. Notiſſimum praeterea eſt, omnes, malo hypochondriaco, i. e. mala circulatione ſanguinis, in viſceribus primariis, ſub hypochondriis ſitis, laborantes, et inde ſpaſmodicos neruorum imi ventris motus ſentientes, graues interdum pati anxietates, ſub quibus etiam in capite, ſanguinis lenta circulatio coniungitur, quae ipſa mater anxietatum fit, illi quodammodo ſimilis, quae ex contuſione oritur. Hinc ſemper conſultum eſt, vt ingruentibus, cum febre anxietatibus, animus aduertatur, an concurrat quaedam viſcerum abdominis mala diſpoſitio, quae vel anſam huic febri dederit, vel ipſi euidenter faueat. Interdum tamen, poſt manifeſta diaetae vitia, et ex his onerato ventriculo, cum inteſtinis, mox febris cum magnis anxietatibus accenditur. Lubet duos, hoc dilucidantes caſus adducere. I. Lanio robuſtus, tempore hyberno, in itinere, ex carne ſuilla, et braſſica muriatica, affatim comeſtis, a febre corripitur, cum vomitu et cephalalgia. Ob aeſtum ſanguinis, die quinto vena ſecatur, et ob magnas, quas primario accuſat *anxietates*, dantur aloës hepat. gr. 3. tart. vitr. gr. 15. magneſiae gr. 10. vnde

 poſt

post duo sedes aliqualis melioratio. Vrina icte-ricorum similis erat. Vinum rhenanum tepidum, haustus quantitate datum, feliciter cum multa saburra reuomit. Datur aqua temperatum, quod rursus reuomit, quia pondus contentorum ventriculo onerato eo ipso augebatur. Hypochondria sibi quasi cum cingulo constringi querebatur; infusum Thee viridis iam cum successu bibit, vacuo nunc ventriculo, vnde nerui relaxabantur. Itaque versus noctem ipse vinum rhenanum petit, et eius vncias sex bibit cum emolumento, nocte, cum sudore somnifera, et omnium anxietatum fine: insequente statim pristina sanitate. Respectu infusi Thee, memini incubum aliquando curasse consilio, hoc infusum ad aliquot vncias ante decubitum bibendi. II. Vir robustus, quadragenarius, nauta, prandet ex iusculo carnis recentis, carne bubula salita, piscibus fumatis, ansere assato, et denique mytulis conditis. Superbibit bonum vinum, mediocriter, et cereuisiam tenuem. Elapsis quinque horis Thee bibit: verum hic adsunt mox anxietates, et pectoris oppressiones, cum tussi, qualis se adiungit saepe anxietatibus paroxysmum febrilem comitantibus. Accedit ardor et rubor faciei, cum capitis et totius corporis pruritu, insequente pulsu febrili. Rubent oculi, venae frontis inflantur, et cor agitatur. Deuoluitur mox ardor et rubor in collum et pectus, mox in dorsum et brachia, et tandem in manus, cum ingenti pruritu. Eleuantur vbique maculae, quasi vrticatae: descendunt hae ipsae, paulo post, ad

abdo-

abdomen, femora, et pedes, mira ſucceſſiue facta, neruorum motus inteſtini, et hinc ſanguinis, in extremitatibus haerentis, et detenti communicatione. Superiores partes ſe nunc leuatas ſentiunt. Attamen pulſus adhuc febrilis, et quidem debilis, ab affectis, ſine dubio, et cordis neruis. Nulla tamen ſitis; ſaliuae enim orificia in ore manent patula. Sequitur tandem diarrhaea copioſa, quinque horarum ſpatio, ex qua humorum, in abdomine rebellium, euacuatione, omnium ſimul rebellium motuum, et excretionum periphericarum verbo, totius ingentis tumultus finis. Inculpabantur ſtatim mytuli venenoſi, qua culpa olim iam ſunt notati: verum reliqui commenſales, qui de illis ſimul ederant, optime ſe habebant. Praeterea idem vorax, elapſis aliquot ſeptimanis, a prandio ex cibis oleo oliuarum conditis, carnibuſque aſſatis, et ſuperbibito affatim mulſo, elapſis iterum aliquot horis, iisdem fere omnibus, mitius tamen, afficiebatur ſymptomatibus. Sola itaque ventriculi repletio, et hypochondriorum viſcerum inde nata affectio, febrem hanc, cum anxietatibus generauerat exanthematicam, craſi ſanguinis, in homine perſano, robuſto, exiſtente inculpata. Vaſa ſanguifera maiora viſcerum abdominis partim mole fuerant oppreſſa, partim ſpaſtica conſtrictione affecta, cum circulationis ſanguinis in partibus periphericis magna retardatione, vnde ſimul neruorum extremitates, in criſpaturam prurientem actae fuerunt, donec opitulante affluxu ſeri, ad diapnoen apti, haec criſpatura ſublata fuit, (quemadmodum idem ſub mi-

liorum

liorum excretione contingit) vel, vti in viro robuſto, magna humorum, contraria, per aluum facta excretio, ſpaſticos motus, violenter quaſi ſopiuit. Quis neſcit feminarum ſpaſticas crurum moleſtias, comite formicatione, quando abdominis nerui tumultum hyſtericum excitant? Sic etiam ingruente noſtra febre miliari interdum vnius vel alterius cruris dolor praecurrit.

§. 6. Ex ſupra dictis patet neceſſitas, vti in aliis febribus malignis, ita in hac etiam, illa ponderandi ſymptomata, quae aperte cum morbo hypochondriaco-hyſterico habet communia. Saepiſſime enim, his comitibus, exanthemata in peripheria excluduntur. Fere omnia, quae in hoc praeſto ſunt ſymptomata eſſentialia, etiam in febre miliari offendimus. Notandus itaque eſt *Hamiltonus*, quod vbique, vbi illa offendit, reſpectu theoriae huius febris, flocci habuerit, et vnice ad eliminationem ſanguinis ſeroſi, acidi, reſpexerit, qui aegri ſitis experti fuerint, licet in multis allegatis caſibus, contrarium, ſitim inexplebilem adfuiſſe narret. Locauit tamen feliciter ſaepius remedia antihyſterica, in decrementum huius febris. Vti fere in omnibus malignis, petechialibus, petechizantibusque, focus febris in infima corporis regione quaerundus eſt, ita et in pleriſque miliaribus, et miliarizantibus, viſcerum abdominis ſymbolizans morboſus ſtatus, ſtagnatione ſanguinis fundatus reperitur, niſi aperte ſint idiopathicae, ſecundum ſigna ſupra notata. Quemadmodnm in petechizantibus vaſcula capillaria

ſub-

ſubcutanea nullam maculoſam dant ecchymoſin; ita in miliarizantibus neruorum extremitates ſpaſtica quadam tenſione impediuntur halituoſas puſtulas protrudere. De ſymbolizante ſtagnatione ſanguinis, in viſceribus abdominis, in ſubſidium vocemus nuperum caſum, licet extra febrem typicam verſantem: Vir annorum quinquaginta quatuor, habitus laxioris, plethoricus, venaeſectioni addictus, tempore hyberno, ob pectoris oppreſſiones, aeſtus volaticos, et ſudorem nimium inſomnes trahit noctes, vt multoties, ad ſudoris moderationem, inprimis, cum ipſi ſimul plantae pedum vrerentur, de lecto ſurgeret. Per diem commode habet, negotia obit, nec appetitu ad cibos plane caret. Alui ſegnitiem tamen, et vrinae parcitatem incuſat. Haec incommoda pilulis Becch. et Stahlii puluere antiſpaſm. per duo ſeptimanas tollere fruſtra tentat; donec tandem haemorrhoides, quas nunquam ante expertus fuerat, erumpunt, ſanguinem grumoſum in magna quantitate eiaculantes, ex quibus ſtatim noctes ſomniferae, aeſtuum volaticorum, et nocturnorum ſudorum abſentia, vel moderatio, vrinae maior ſecretio, cum plenario priſtinae ſanitatis reditu. Attendendum hic porro eſt, febrem miliar. ſymptomaticam communiter tempore hyberno, et verno, quo poſteriori et febres intermitt. graſſari ſolent, incidere: in quibus ſtagnationes humorum in viſceribus abdominis, ob factam copioſiorem ciborum ingeſtionem, ſub minore corporis, tempore hyemis, facto motu, minore tranſpiratione, generantur, ſe- et excretiones humo-

rum

rum, in tantum, incomplete peraguntur, vt inde febris oriatur. Hinc fit, quod febrem intermittentem aliquando mentiatur febris miliaris, et quidem in principio, ſub larua febris catarrhalis, veſpera ingruentis. Verum ſaepiſſime eſt infida, improuiſo aegrum ſub inſultu apoplectico iugulans, niſi paroxyſmi reuerſionem tempeſtiue impedias. Docet autem eo ipſo ſe neruorum eſſe morbum. Ante hos circiter ſexaginta annos, Halae, Studioſiſſimis Theologiae Studioſis, hypochondriis multum laborantibus, valde exitialis erat. Num inter hos fuerit ille, quem IVNCKERVS in fine tabulae de febre miliari inſidioſa morte ſubreptum, me latet. Idem de colica haemorrhoidali agens, dicit, illam ſolui *macularum* ſcorbuticanem prouentu, non ſecus ac *in malo hypochondriaco ſaepe contingit*, et *a corruptione ſanguinis dependet.* Iunge maculis febrem, et erit petechialis, exanthematica periculoſa. Contagioſam declarare febrim miliarem albam experientia mihi non ſuggeſſit. Moriebatur aliquando virgo quatuordecim annorum hac febre, et propinqua eius, habitus laxioris, illam decumbentem, ſaepe viſitabat, et mox poſt eius obitum febre leuiſſima corripiebatur, ſimulque pauca excretione puſtularum afficiebatur; adeo, vt totus morbus potius effectus imaginationis, quam contagii eſſe videretur.

§. 7. Inſeruiunt autem pro noſtro ſcopo inquirendi et reliqua eminentiora ſymptomata examinanda, nempe *aeſtus volatici*, *pulſus ſub*

hypo-

hypochondriis, *ſuffocatio ſpaſmodica*, *ſtupor comatoſus*, *vigiliae*, *ſuſurrus aurium*, *delirium*, et *motus conuulſiui*. *Aeſtus volatici* nihil aliud ſunt, quam ſanguinis in viſceribus abdominis ſtagnationes, per ſubinde reſtitutam eiuſdem circulationem, interpolatae: graues autem ſimul ſunt, quando *arteriae in hypochondriis*, et communiter in cordis ſcrobiculo, pulſant; indicio enim ſunt, meſenterium ſpaſmo neruorum ſuorum, in altum eleuatum eſſe, et arterias iliacas vicinas adeo compreſſas, vt pulſus illarum diſtincte ſentiatur. Vti hoc graue incommodum eſt, ita ſimul terrificum, quia valde inſolitum, motum cordis ibi ſentire. Augetur interdum hic ſpaſmus in tantum, vt cerebrum feriat, et ſenſus cum ſtupore comatoſo obnubilet, reliquis officiis corporis naturalibus vigentibus, adeo, vt excrementa, inſciis, ſenſu priuatis aegris excernantur. Quemadmodum autem hic ſtatus p. n. ſomnum naturalem euidenter impedit, ita, e contrario, dum cerebrum, tenſum, et agitatum, a forti ſanguinis impulſu, toni remiſſione placida, ſomnifera, caret, *vigiliae* oriuntur pertinaces, quas ſaepe moleſtus *aurium ſuſurrus*, ex iisdem, in capite vbique tenſis irregulariter neruis, natus, auget. Sequitur tandem ex his *delirium*, ſtuporis comatoſi contrarium: nam, vti in hac ſanguinis abundantia p. n. lis in capite adeſt, ita in delirio communiter eius defectus praeſto eſt, et tenſum ſimul eſt valde ſyſtema neruoſum. Vidimus hoc in cadauere capit. praeced. §. 4. et Boneti ſepulchretum hunc cerebri ſtatum, in Maniacis,

niacis, confirmat. Cum habitaculum mentis ex vna parte a ſanguine ſtagnante prematur, ex altera parte illo careat, quae idearum ordo in tali mala diſpoſitione organi conſtare poterit, abſque errore grauiter delirante? Quid mirum praeterea, ſi nerui, partim ita tenſi, partim relaxati, ſimulque debito nutrimento ſanguinis priuati, inordinate moueantur, et nunc rigorem totius trunci corporis, in Opiſthotono, ceruicem rigidiſſimam faciente, et per neruorum ramificationes laryngem et pharyngem, cum loquelae et deglutitionis difficultate, conſtringente exerceant, nunc autem ſeparatim membra, motibus conuulſiuis, agitent. Opiſthotonum comitatur communiter magna *collectio viſcidi in faucibus*, deglutitionem difficilem reddentis. Familiarior autem haec eſt feminis, ex nexu paſſionis hyſtericae et viris, qui ſunt feminei habitus.

§. 8. Haec omnia tamen adeo malignum non redderent morbi ſtatum, niſi natura, in pleriſque aegris, *magna ſimul laboraret debilitate.* Quam quidem mirari iniuſtum ſit, cum partim, et primario, ex ipſis neruis, ex vitio ſucci, vel antecedente, vel ſubito alterato, debilibus, partim a *ſudore effuſo*, ipſam ſanguinis, per aeſtum rarefacti, molem auferente, et per poros eliminante, oriatur: augetur eo ipſo neruorum in peripheria corporis debilitas, et cutis tono priuatur iuſto, vt tota marcida adpareat. Stuporem, ſenſus carentiam inde natam eſſe legimus, Cap. III. §. 4. Cum enim maxima pars ſanguinis in ſero

et

et lympha conſtet, haec vero vtraque in tenue fluidum reſoluta, et per cutim et renes eiecta ſint, pauco cruore cum inſpiſſata portione lymphae remanente, vehiculo ſuo priuatis, quid mirum debilitatem inde naſci ineluctabilem, et *το* malignum principaliter formantem. Solennis huius febris ſudor, ſic affectis et laborantibus neruis, ſudori fere emortuali appropinquat. Nec in aliis febribus acutis talis ſudor effuſus periculo caret, pulſu, nempe ſimul exiſtente valde febrili: ſic puella ſex annorum, a variolis correpta, effuſiſſimo videbatur diffluere ſudore; inſequente die vero inſultu apoplectico afficiebatur, quem mox hemiplexia comitabatur: euadebat quidem feliciter a variolis, mali moris non exiſtentibus, et etiam ab hemiplexia ſanabatur, loquela tamen per totam claudicabat vitam; quam de cetero, commode, etiam mater facta, per quadraginta annos, ad vitae finem vſque trahebat. Conſideranda hic venit hypochondriacorum ad ſudorem procliuitas, ſi non per totum diem, attamen noctu, quaſi hecticum: praeterea volas manuum communiter habent madidas, vtrumque a debilitate neruorum, quam vappidus ſanguis nutrit. Nec mireris ſudorem effuſum comitari *vrinae parcitatem, ſimul indigeſtae*, ob functiones ſecretionum in viſceribus abdominis, inprimis in renibus, ſub hoc oeconomiae tumultu interdictas. Felicior eſt ille caſus *Hamiltoni* puellae, quae ex multo potu aquae lactis, et iulapii tantum minxit, vt mors ex diabete metueretur; cum inſecuta tamen ſanitate: quam viduae, quae copioſam

vrinam reddidit §. 10. cap. praec. et §. 4 et 5 cap. II. Cum, porro, ſub hac neruorum debilitate, etiam ſpecialiter cordis nerui ſubinde, per morulam, tono ſuo deſtituantur, *lypothymia*, ſymptoma, per omnia maxime terrificum, animi fugam minitans, oritur.

§. 9. Praeter haec dicta, febrim hanc fere ſemper comitantia ſymptomata, interdum adhuc alia, pro aegri indiuiduali conſtitutione ſe iungunt. Sic aliquibus ſe iungit diarrhaea, vel ex bilis acredine, vel ex glandularum meſenterii comite leui inflammatione, vel ex inteſtinorum coniuncta atonia. Aliis aphthae oris iunguntur, cum excretione miliari in illo, ob ſaliuae, in qualitatem corroſiuam degenerantem, exulceraſcentes.

§. 10. *Frigus*, quod aegros hac febre detentos afficit leuius *externum*, in brachiis et pedibus, a vaſculorum ſanguiuehorum capillarium, per neruorum apices factam conſtrictionem oriri, non dubitandum eſt. Quod autem *internum* attinet, terrificum magis eſt, et neruorum vitalem oſcillationem, in truncis emergentibus, minui, corpori vero, eiuſque oeconomiae, labem totalem minitari, cenſendum eſt. Quod ſentiunt, interdum mulieres hyſtericae graue, in vertice, frigus, etiam huius §phi eſt, et generis.

§. 11. Conſideratione autem haud leuiore, prae reliquis ſymptomatibus, perpendenda eſt illa *gelatinoſa excretio*, (Cap. III. § 1 et 16.) hypochondriacis et hyſtericis non ignota; difficilis tamen

tamen aetiologiae phoenomenon. Cum haec duo, in citatis locis, notata ſubiecta apparenter non fuerint malo hypochondriaco obnoxia, adoleſcens nempe, et vir ſaliuationi vacans, neceſſe eſt, neruorum meſentericorum vehementes, non doloroſos ſpaſmos, orificia vaſculorum lymphaticorum criſpantes, lympham ad hanc excretionem coegiſſe, et in talem gelatinam coxiſſe, eodem, quo in hyſtericis et hypochondriacis modo. Meſenterium autem abſque dolorifico ſpaſmo agitari poſſe, ipſa non ſolum abſque dolore coniuncta arteriarum pulſatio probat, ſed et morbi ſpaſmodico conuulſiui femellarum abunde teſtantur.

§. 12. Conſiderari etiam meretur aſſociatio horum exanthematum miliarium, quae febribus inflammatoriis fit, pleuritidi, aliiſque. Nerui, per aeſtum ſanguinis ex ſolidae cuiuſdam partis pleurae, vel inteſtinorum inflammatione, quaſi cocti et marcidi redditi, facile ſuccum ſuum per extremitates exhalant, et ſic ſimul magis, per vnitam illarum criſpaturam, quam ſeri ſanguinis acrimoniam, ſudorem vrentem reddere valent. Euidenter hoc contingere ſolet in artheritide, neruorum ſimul pathemate, quando ipſi iungitur.

§. 13. Puerperis familiarem eſſe hanc febrim, non mirum ſit, cum conſideramus, quantum ſordidorum recrementorum, tempore grauiditatis, dum purgatio menſtrua intercepta eſt, in maſſa ſanguinis coaceruetur, quorum non poteſt non quaedam copia ad neruorum ſuccum tranſire. Teſtantur hoc aperte maculae illae cutaneae, liche-

nes dictae, aliaeque, tempore grauiditatis in cute apparentes, diuque postea superstites, illis hypochondriacorum similes: quae maculae quidem impuri sanguinis sunt soboles, attamen iudicatu facile est, per omne grauiditatis stadium, et neruorum succum ex impura sanguinis massa multum heterogenei sorbsisse. Grauidarum autem valetudinis statum totum esse hypochondriacum, infarctibus viscerum abdominis, quin omnium, fulcitum, ipsa, quae patiuntur symptomata clamant. hofmannvs, in Consult. P. VI. D. II. monet primiparis fuisse funestiorum hanc febrim, et nec venaesectionibus, nec laxantibus, tempore grauiditatis, exhibitis potuisse praecaueri. Sunt autem primiparae teneriores, neruorum teneriorum, irritabiliorum, heterogeneum succum minus patientium, quam illae, quae iam feliciter pepererunt.

§. 14. Quando febris miliaris, post exantlatas alias malignas, insurgit, (de quibus etiam Pelargus, in suis Obseruationibus; et quidem quod purpura rubra frequentius illas secutae sint, quam purpura alba) licet crederet massam sanguineam, quin etiam neruorum humidum vaporosum, si quid in illo ante fuerit heterogenei, per febres praecedentes, eiecta et consumta fuisse; tunc sub ipsa praecedente febre neruos vitium quoddam contraxisse apparet, si purpura fuerit alba. Quod, cum contingit, communiter absque periculo est: languent aegri ex debilitate neruorum, sub febricula, eiusque spasmo moderato.

§. 15. Veſiculae miliares, cum vltra biduum tales non perſtent, quin tunc albeſcant, et mox deſquamentur, de illarum retrogreſſione multa dicere non auſim. Copioſiſſime etiam poſt mortem perſtitiſſe in ſuperficie corporis, copia nullatenus imminuta ſaepe viſum eſt. Poſſibile quidem eſt, neruorum extremitates hunc liquorem vaporoſum, nouiter excretum reſorbere poſſe; interim ſuppreſſam, vel potius retentam fuiſſe eius excretionem firmiter credo, vbi pedum paralyſes acceſſiſſe quidam obſeruarunt, et diaphoreticis, et vrticationibus, veſicatoriorum non ineptis vicariis, neruis tonum reddentibus, illas ſanarunt. Supra in allegatis caſibus, induſiorum mutationes, imo corporis incongruas lationes, abſque retrogreſſione factas eſſe vidimus.

§. 16. Hoc momentum hiſtoricum addere liceat, et interſerere, quod aegri in hac febre faciem habeant, ſi non pallidam, tamen paululum collabeſcentem, vel ad minimum, coloris naturalis maneant; indicio, vbi pallent, neruos debiles eſſe; vbi autem color naturalis perſtat, vaſa ſanguifera faciei ad dilatationem a ſanguine aeſtuoſo, atonia quadam laborare. Quando autem rubor genarum per maculas diſtinguitur, valde incomplete vehi, et circulare ſanguinem, ſignum eſt.

§. 17. Locanda denique etiam eſt hic memorabilis hiſtoria, quam dant Medici Londinenſes, in Medical Obſeruations et Enquir. Vol. I. de Tetano oris feminae annorum octo et viginti, caelibis, habitus tenuis, quae ante ſex menſes va-

riolis laborauerat. Coniunctus fuit rigor mufculorum capitis, colli et dorfi, et dolore fub fterno, pro figno pathognomonico futuri tetani habito. Diebus infequentibus apparuit afpredo quaedam cutis (rafh), quae die morbi decimo fexto abundanter circa collum et pectus excreta eft, vrina interdum vltra viginti quatuor horas retenta. Aegra ex largo opii vfu interno, et externo, addito ad fternum Galbano, in auxilium vocato balneo frequenti, in camera calida, conualuit. Simulac opiatorum vfus fufpenfus fuit, mali deterioratio acceffit. Manfit afpredo per totum morbi tempus. Pulfus fuit languidus, ideo ad febrim miliarem haec excretio numerari poterit, licet aperte nerveae fuit indolis. Balneum in vanno in ipfa febre miliari, fine noxa adhibitum lege in Cap. III. §. 17. Afpredo haec evidens fuit effectus neruorum, valido fpafmo adfectorum, eo ipfo fuccum fuum, fiue nutritium, fiue heterogeneis mixtum elafticum, fub forma afpredinis, purpurae, miliorum, eructantium. Quis non iufte fufpicaretur, tetanum oris cum afpredine infantum, quam flos cutis appellamus, eiufdem effe naturae, fpafmum nempe neruorum totius fyftematis; cui, licet in his tenellis non audacter opio vti liceat, attamen balnea repetita egregie convenient.

§. 18. Quas tandem ex adductis fymptomatibus, ad peruestigationem caufarum febris miliaris, thefes haufimus ftabiles, eo recidunt: 1) Quod fyftematis neruofi fucco vel nutritio, vel forfan

forſan humoribus vaginalibus, facta ſit intemperies, quae illud ipſum, vna cum ſanguinis maſſa accendat, et in ſuis extremitatibus, vel ſpaſtica quadam oſcillatione, vel remiſſio tono, humidum vaporoſum, veſiculas in cute formans, exhalet; 2) Quod intemperies horum humorum, etiam ex valida commotione ſyſtematis neruoſi, e. g. per iram, terrorem, motum corporis inſolitum, quin orgaſmum venereum, quemadmodum id praecedentes hiſtoriae teſtantur, ſubito oriri poſſit; 3) quod ſub his omnibus, plexus meſentericus, cum turbis hypochondriacis, communiter morbi ſodalis ſit, idque eo magis, quando viſcera abdominis, iam ante ſtatus fuerint morboſi, vel focum febrilem reconditum habuerunt.

§. 19. Neruorum febrim et morbum eſſe febrim miliarem iam BRVNNERVS, in Ephem. Nat. Cur. D. III. A. 7. 8. Obſerv. ſupra Cap. III. allegatis, agnouit, et quidem in ſcholio his verbis: *Non poſſum, quin aliquid de ſucco neruorum ſubolent, et in mentem veniat illorum ſententiae, qui febrium ſedem ſtatuerunt in genere neruoſo. Vtrum omnes in illo hoſpitentur meum non eſt altius rimari. Certe dictarum hydatidum facies, et ipſa, quae hiſce ſuperueniunt periculoſa ſymptomata, aliunde quam e maſſa ſanguinea, et arteriis promanare arguunt. Quod ſi ſtatuamus neruoſum fluidum, forte accommodatius erit, ad explicanda, quae illas comitantur ſymptomata. Etenim, cum cutis non ſit, niſi contextus fibrillarum neruearum* etc. *Nec ſudoris productum eſſe, inde*

enim non tantum periculum immineret etc. *Nodi circa digitorum internodia nati non tantum causam dictorum symptomatum probabiliter deriuatam, sed et morborum articularium, et ipsius podagrae per neruos fluere, suspicare licet: experimento, ad probandam succi neruei existentiam, haud inepto, nec incongruo.* Ex eadem sane fluunt communiter causa, succi nimirum neruei intemperie arthritis, et purpura alba: idem est communiter subiectorum habitus: adsunt communiter in arthritide hypochondriorum oppressiones, susurrus aurium, vomitus, deliria, quin lypothymiae, vbi nulla efflorescit purpura, febre, hoc modo existente miliarizante, nihilominus tamen saepe funesta. Suspensae sunt interdum in vtroque morbo secretiones muci, narium, et vrinae; simulac vero mucus, saepe sanginolentus, et vrina largius excernuntur, mox melior est status in morbo vtroque. In virgine septendecim annorum, arthritica, cum res eo iam peruenerant, vt bene dormiret, ederet, et ambularet, fiebat tamen, sub pulsu aestuoso, excretio papularum pelluciderum, absque deterioratione status. In Eph. N. C. D. II. A. V. App. Gunteri, arthritis allegatur iuuenis, a nimiis pollutionibus nocturnis nata. Obtulit se mihi aliquando caelebs quadragenarius, fortis, laxi habitus, pollutionibus nocturnis adsuetus, iam, qui pollutiones per 6 vel 7 septimanas emanserant, fortiter arthriticus. Quid ex horum affectuum affinitate aliud arguere licet, quam causarum connexionem, quin identitatem.

§. 20.

§. 20. Quoad caufas procatarcticas, praeter illas, in praeced. §pho fimul notatas, multae quidem apud celebriores Auctores, ex rebus non nat. producuntur, et LINDNERVS, in germanico fuo Tractatu, de hoc morbo agens, illorum 23 numerat, vltima praeterea adhuc multiplici exiftente: nos adeo fpecialiter et legitime eafdem accufare non valemus. Morbus eft folemnior fexus feminini, et fubiectorum debiliorum, laxioris habitus, cuius fubiecta faepius de ftupore digitorum conqueruntur, etiam abfque infecta febri miliari. Ab hypochondriorum obftructionibus faepe fomentatur, et ideo puerperis, quae tempore grauiditatis multas moleftias hypochondriacas tulerunt, periculofior effe folet, et fine dubio ab omni aeuo fuit, vt fruftranea fit in huius febris natiuitatem inquifitio. Indos illa laborare *Hamilton* affirmat: an inquilinos, natiuos, vel aduentitios, non addit abufus rerum non natura, cibus et potus, quies et motus, excreta et retenta (excepto refpectu ad hypochondriorum obftructiones, et lochia in puerperis; vel etiam motus nimii, feminae in Cap. II. notatae) ad generationem febris miliaris nil magis fpecifice faciunt, quam ad generationem febris intermittentis, aliarumue. Praeterea, in morbo adeo acuto, breuifque periodi, et fublato, in tantum, oeconomiae animalis ordine, per eafdem res naturales, melius ordinatas, fonationis primarium punctum non obtinebimus. Aeris quidem hyemalis rigida conftitutio, cum perdurante ferenitate, et fub mercurii in parometro eximia altitudine,

vti arthritides generat, etiam ſeparatim febrem miliarem producere ſolet; an refrigerationis modo, vti communiter arthritides, vel ex ſpeciali actione in ſuccum nerueum, incertum eſt.

§. 21. Conſideratis omnibus praemiſſis, antequam *Therapiam* aggrediamur, ita hunc affectum definimus: Milia-veſicularia, purpura alba dicta, ſunt neruorum excretiones halituoſae; a) quibus, ſi ſpaſmus febrilis adeſt; b) vel ex domeſtica corporis cauſa, vel ex animi pathemate, vel ex aere ſuccum neruorum alterante, ſanguinem in viſceribus coagmentans; c) et primario plexum meſentericum in tumultum agens; d) adeo, vt ex his in conſenſum acto paris vagi neruorum ramulo ad praecordia, anxietates, vigiliae, deliria, conuulſiones, aeſtus volatici, ſudores, et reliqua hypochondriacis et hyſtericis ſolennia ſymptomata; e) generentur, pro dato neruorum robore; f) facile, vel difficulter ſanabilia, quin, in hoc poſteriore caſu, ſaepiſſime in Apoplexiam; g) vel in partium nobiliorum; h) vel in ipſorum neruorum viſibilem, aut inuiſibilem necroſin, cum morte, raro ſanitate, terminantia. Dilucidabo haec paucis: a) Excretiones halituoſae ſunt, quia vix aliquem reddunt madorem, nec, quande deſquamantur. Aliter fit, quando ex arteriis in venas reſorbendus excernitur in cute humor morbidus, purpuram rubram, petechias, morbillos, variolas, aliaſue generans efflorescentias. Haec exanthemata enim, quia ex maſſa ſanguinis ſeparantur, toto coelo a purpura alba differunt, miliis

liis pellucidis, neruorum ſobolibus: b) Febrilem ſpaſmum in ipſis neruis generari, ex cauſa in ipſis ſuborta, vel, illis communicata, in propatulo eſt: adfuerit licet horror paruus, vel nullus; vti id e contra ad ſenſum continget, in febribus intermittentibus, inflammatoriis, aliisque. Agit itaque huius febris miliaris ſpaſmus incomplete, et debiliter, ſub formicatione, pectoriſque oppreſſione, cum pulſu nihilominus inſigniter febrili: tendit, et vrget ſimul, irregulariter, reliquos corporis, praecipue autem meſentericos neruos, quin neruorum principium, an conuulſiones, vel ad apoplexiam. Et licet interdum in corporis peripheria per maximam neruorum in extremitatibus factam extricationem, et ſic humoris halituoſi neruei, morbidi putati, copioſiſſimam euacuationem ſalutaris criſis ſperetur, attamen Cap. II. allegati caſus contrarium monſtrant, quia admodum probabiliter, per tantam humoris elaſtici euacuationem, neruorum emortualis debilitas ſucceſſit. c) Coagmentari, ſub hoc inſidioſo, clandeſtino ſpaſmo febrili ſanguinem in viſceribus nullum ſit dubium; ſequuntur autem hinc ſecretionum et excretionum ataxiae, et has, plures ſanguinis ſtagnationes, corporis oeconomiam grauiter laedentes. d) Plexus meſentericus inter alios valde irritabilis, maximos parit tumultus, pulſum in ſcrobiculo cordis, meſenterio in altum conuulſo, anxietates graues, complice ſimul pari neruorum vago, et lypothymias excitantes. e) Quanta generetur ſymptomatum caterua, quando ſub hypochondriis, circa venam portae, vaſa

ſangui-

ſanguifera lienis, et ventriculi; nec non in pancreate, meſenterio et inteſtinis functiones ſecretoriae et excretoriae debite non peraguntur, hic explanare non opus erit. f) Neruorum perſtans robur eſſentiale eſt κρινομενον in hoc morbo: hoc enim, ſi perſtat, donec nerui ad regularem tonum per totum ſyſtema redierunt, morbus ſuperabitur, fuerint veſiculae miliares multae, vel paucae, vel nullae; tummodo his abſentibus, ordinaria adſint ſymptomata, et febris miliarzans nuncupari poſſit. g) Praecedente vomitu, et aurium ſuſurro, ſtertor apoplecticus mox inſequi ſolet. h) Exinde ſaepius hepar, vel inteſtina maculis notata inueniuntur: adeſſe autem aliquando partium nobiliorum necroſin, indicatus cadaueris diutinus calor docere ſolet. i) Vti in Cap I. §. 11. 12. necroſis apicum neruorum adfuit viſibilis, perſtante, ope felicium interuallorum, robore totius neruoſi ſyſtematis: quis non videt, abſentibus his fauſtis auxiliis, neruos in atoniam lethalem labi poſſe, abſque mutato, in nigrum, ſphaceloſo colore.

§. 22. Concludendo tandem hoc caput, tres ad therapiam febris miliaris, purpurae albae, ſuſcipiendam mihi natas eſſe indicationes video: 1) Spaſmum febrilem ſopire; 2) Vires vitae fulcire, i. e. genus neruoſum roborare; 3) excretionis periphericae non primariam, pathognomonicam tamen, habere rationem, quia haec a circumſtantiis antecedentibus dependet, et quia, interdum, abundandiſſimam, ſanitati non ſalutiferam,

ram,

ram, mediocrem autem, vel plane violenta manu obtritam (Cap. III. §. 16.), vel in miliarizante nullam, redintegrationi ſanitatis non contrariam vidiſſe vidimus. Momentum, in omnibus fere exanthematicis obſeruandum, mihique, inprimis, in febribus petechialibus ſolenne, quod petechiarum excretionis non primaria habeatur ratio, ſed ſuſtentatio toni ſyſtematis neruoſi, per analeptica antipyretica, et frictiones. Frictione haerens in extremitatibus vaſculorum ſanguis morbidus, partim attenuatus ſub feri forma per cutim tranſit, partim ad maſſam redit, abſque periculo. Nam, ſi vires vitae per neruos frictione modeſta roboratos, et per reliqua interna ſubſidia ſubleuantur, extrauaſatus et corruptus in peripheria ſanguis per debita organa eliminabitur: deficientibus autem vitae viribus, ſtagnans, vti in peripheria, ita in maioribus ramis ſanguis, deleterium dabit finem. In ipſis variolis aliquando modeſta abdominis et crurum frictio, (immodeſta coagmentabit) diſſipabit materiam excernendam, vt attenuata per cutim et renes tranſeat. Valet et haec frictrix methodus, ad ſufflaminandum ſudorem nimium, prae refrigeratione, dum cutis, ipſa mediante frictione firmatur, et pororum oſtia coarctantur. Temeraria ſane eſt lotrix illa methodus cum frigida, quam praedicatam legimus in Appendice Vol X. Eph. Nat. Cur. Milia, venenum vehemens putatum, repelluntur cum ſero feruido ſubcutaneo; licet fatendum ſit, inde aeſtuantes a ſanguine neruos refocillari, et roborari. Quando iam, feliciter, ſub tali lotione, viſcerum abdominis

nis viae ſecretoriae peruiae et patulae ſunt, ad renales excretiones promouendas, forſan ſudor, quem tamen frigida aqua in cute fundere dicitur, non bene ſucceſſerit, res ſalutarem finem habere poterit. Quando autem haec ſeri, a frigore repulſi, copia ſubito e maſſa ſanguinis ad excretoria organa non demandabitur, facile ad cerebrum verget, et ad funeſtum exitum. Prouocare poterunt hi experimentatores, ad caſus quoſdam, referentes, aegros quoſdam morbo acuto decumbentes, ſe cuſtodibus ſubtraxiſſe, et in flumen commiſiſſe, eodemque modo morbum ſuperaſſe: verum, pauci ſane erunt, qui hunc lapidem lydium roboris naturae ſuſtinebunt. Hydrophobiae ſimilem eſſe hunc morbum vult ALLIONVS: (Comment. de rebus etc. Vol. VIII. p. 606.) cui adfectui quidem immerſio talis in aquas muriaticas maris, vel alis, ad prouocandum largum vrinae profluuium conuenire ſolet. Interim ſymtomata hydrophobica, illis, febris miliaris conuenientia, nunquam obſeruaui: ideoque ſimilitudinem talem admittere nequeo.

CAPVT V.

De natura febris miliaribus ex ſymptomatibus eruta.

§. I.

Triplicem ſuppetiit mihi praecedens caput, ad ſanandam hanc febrim, indicationem, nempe: 1) ſpaſmum febrilem ſopire; 2) vires vitae

vitae fulcire; 3) excretionis periphericae non primariam habere rationem. Vt priori indicationi ſatisfiat, improba opus erit opera. Oritur enim hic ſpaſmus febrilis, et fouetur, vel ab intemperie ipſius ſucci neruei orta, vel communicata, vel a violenta commotione fibrarum ſyſtematis neruoſi propriarum, in ſuum ſuccum, et inde in ſanguinem aeſtuantem, ex commotione animi, ira, terrore, venere etc. ſecundum hiſtorias Cap. III. Intemperiei vocabulo, modeſto antiquorum ignorantiae peplo, vtor, quando incerta eſt falſa pro veris et certis vendere noluerunt. Vana, et incerta, de mutata temperiei natura ſunt iudicia: nunc enim ſulphure quodam volatili laborare iudicatur, nunc acido alio volatili, nunc alcali volatili. Quale iam alterans, vel ſopiens, ſub hanc incertitudine adhibendum erit? Valet quidem contra febriles ſpaſmos, ex orgaſmo ſanguinis natos, quin etiam quodam modo, contra ſpaſmos febriles, ex intemperie neruorum orgaſtica ortos, nitrum, inualidum autem eſſe, in morbis, ſic dictis malignis, ad febrilem ſpaſmum ſopiendum, comperimus: imo, quando eius maiorem quantitatem, ad hunc finem neceſſariam eſſe iudicamus, et propinamus, debilitatem neruorum ventriculi, et inteſtinorum, et ſic reliquorum conſentientium, ex hoc naſci experimur. Admittamus nihilominus prouidum, et attentum eius vſum, inprimis tartari vitriolati Tach. tertia parte nupti, quo huius aperitiua amaritie, neruis non ingrata, intimius in ſanguinem introducatur, et ſanguinis orgaſmum ſopiendo, ſpaſmo detentos

neruos

neruos leniat, et ſimul, quod primarium eſt, diureſin feliciter promoueat. An obſorbentia ipſi iungenda ſint, dubitandum; niſi aperta aciditas in ventriculo obſeruetur. *Hamilton*, de febre miliari agens, totus eſt in exhibitione pulueris e chelis cancrorum, quia ſerum ſanguinis acidum pro morbi cauſa habet: nullibi autem ſufficienter probat. Si ad guſtum ſollendum, nitro, praeter tartari vitriolatum, addere placet, ſit caſcarillae cortex, ob eius virtutem ſedatiuam. Quemadmodum enim nitrum humori orgaſtino frenum iniicit, ita hic cortex fibras agitatas, pro virili, ſopit, inque hoc, cum aliis eiuſmodi et volentioris naturae, notis antiſpaſmodicis, aſa foetida, caſtoreo, Galbano, et fortiſſimo illo neruino, opio, conuenit.

§. 2. Stupefacere, dices, neruos, eſt illorum virtus. Et eſt. Stupefaciendo autem impeditur illa frictio fibrarum exaeſtuans: moderate, et prouide, vti decet, illas ſtupefaciendo, locus tempus datur humori inſenſo eliminandi, et per circulationem maſſae ſanguineae, et reſtitutas, ſub hac morula, ſecretiones, et excretiones, extra corpus emigrandi. Quis enim medicinam facientium neſcit, poſt opiatorum, camphora ſubinde nuptorum, congruum, bene locatum vſum, ſopiri cordis praecipitem febrilem motum, et fieri moderatiorem, dum cordis, et reliquorum neruorum tenſio et ſpaſmus, ex illis infringitur, eoque ipſo ſanguini, in parua copia, per cor, ſpaſmo conſtrictum, et coarctatas arterias meanti, liberior

liberior paratur via. Soluta enim veris, modeſtis antiſpaſmodicis, cordis, et arteriarum conſtrictione, maior ſanguinis copia cordi traditur, pulſuſque fit plenior et moderatior: ſic etiam venoſo ſyſtemati copia ſanguinis maior redditur, quo officina corporis colatoria ſecretiones et excretiones vtilium retinendorum, et noxiorum reiiciendorum bene adminiſtretur. Vbi enim pulſus celer et frequens febrilis eſt, cum totius corporis morbido ſtatu, (ex motu enim corporis, cum aucta reſpiratione, etiam exſurgit pulſus celer et frequens) ibi cor ſpaſmo eſt adfectum; et quo exilior pulſus, et maior penuria ſanguinis cor permeantis.

§. 3. Vt autem antiſpaſmodicorum virtuti nihil obſtet, opus erit, vt primarum viarum, ab excrementis craſſioribus, ibi forſan coaceruatis, fiat euacuatio, et ſuccedens abſterſio. Si itaque aegri in morbi principio vomituriunt, vrgente ſaburra ventriculi, radicis ipecac. gr. 6 vel 7, cum anatica portione tartari vitr. dentur; exceptis puerperis, quibus talis commotio non conuenit. Si a tali parca doſi vomitus non ſucceſſerit, radix ſuae virtuti diaphoreticae relinquenda eſt. In finem vomitorii etiam bene quadrat ſulphur antim. aur. tertiae praecipitat. determinata doſi exhibitum. Perſiſtenti autem vomituritioni aqua menthae ſola, vel eſſentia caſtorei, vel grano theriacae celeſtis animata detur: vel hauſtulus vini rhenani ſaccharatur, cum cinamomi puluer. et croci ana gr. quinque, cum ſaccharo contritis.

Quadrat idem exhibere poſt euacuatam per vomitum ſaburram.

§. 4. Vomituritione abſente, vel aliis cauſis hanc euacuationem anotericam diſſuadentibus, nihilominus inteſtinorum per clyſma emolliens et leniter ſtimulans fiat euacuatio; poſtea vero neruis placandis intendendus eſt labor, et praeoccupanda illorum pertinacia ſpaſmodica. Inſeruient in hunc finem pilulae ſequentes: Rec. puluis caſtorei, aſae foet. ana gr. VI. al. hepat. gr. 3. moſchi or. (ad conſilium *Allionis*) gr. iij. M. fiant, cum extr. caſcar. inde pilulae octo, de quibus primo biduo, ſub nocte, quatuor capiantur. Turbas ſpaſmodicas abdominis mitigans eſt medicina, inteſtina ſimul interdum abſtergens, ideo etiam in progreſſu morbi innocua, Cap. III. §. II. aeger fortioribus euacuatus fuit purgantibus, ſed debilis pro tempore factus; id quod in hoc morbo, ſi in quo alio, periculoſum eſſe iudico. Roborant ſimul harum pilularum ſpecies genus neruoſum, et quadrant etiam feminis turbas hyſtericas in hoc morbo patientibus, nec non viris, eodem patientibus mala (Cap. III. §. 4.) *Hamilton* talibus vſus eſt feliciter in feminis febre miliari laborantibus; adſcripſit autem illorum bonum effectum aliis ſimul datis remediis; quin in anguſtiis, et conſilii inops ſubinde haerens, ad omnium nauſeoſiſſimam medicinam antihyſtericam, ſtercoris equini ſuccum deſcendit, (Cap. II. §. 8.) neruinum efficaciſſimum. Reſpexit quidem ad lochiorum purgamentum; verum vſitatiſſimum etiam eſt mulierum euporiſton in turbis hyſtericis. Vt autem omni

omni modo pax et robur in ſyſtemate neruoſo conſeruetur, fiat maſſula ex ſequentibus: Recip. aſae foet. drachm. vnam et ſemis, G. Galbani drachm. ſemis, Camph. gr v. ol. ſucc. gutt. 4. laud. opiat. in liquore nitri fixi ſoluti gr. 1. miſc. et ope lintei cuiuis manus carpo alligetur. Hoc modo oeconomia corporis ad toleranda, quin ad praecludenda ſontica ſymptomata erit praeparata. Odorifera omnia ſunt neruina, pro neruorum ſtatu, nunc ſuaueolentia, nunc foetida, quae tamen pro tempore habentur dulcia, conſ. Cap. II. §. 11.

§. 5. Oppreſſionibus pectoris praeſentibus, cum pulſu febrili contracto, veſiculas miliares praedicentibus, nerui thoracis, ad imitationem Medicorum Polonorum, in Primitiis, vapore ſuccini, linteo excepto, leui frictione roborentur: non praeciſe, ad veſicularum prouocationem, ſed ad neruos, ſpaſmodica quadam tenſione, ad inſequentem forſan atoniam vſque laborantes, roborandos; exſudent inde vaporem miliarem, vel non exſudent, tono modo naturali reddantur, et temperiei naturali ſucci neruei, cum moderatione febris. Infuſo vtatur aeger, aquoſo, ex cort. caſcarillae et rad. valer. ana conciſis, leuiter tincto, ad vncias tres, ter in die, cum ſaccharo. Bis vel ter in die, inſtillentur guttae viginti ſpir. bezoard. Buſſi, vel eſſ. caſtor. concentratae. Quibus aqua hirundinum cum caſtoreo dulce ſapit, ad minimum non aduerſum, illi illa ſola ad vnciam ſemis, vel infuſo mixta vtantur. Infuſo lapidis hyſtricis, famoſi Piedro del Porco, a diuo Petro magno

Ruſſorum, Amſtelodami caro emti, bis, ex iuſſu, puerperis, purpura alba laborantibus, fruſtra dedi. Falſo praeiudicio nititur eius, a priori encomium. Tepidum omne bibatur, quin frigidulum, pro aegri placito; nec ſudorem pellere tentetur, niſi aegro, ob perceptum inde fructum monente. Sufficit leuis corporis mador, niſi natura ipſa criticum, cum ſymptomatum alleuiatione, agat ſudorem. In tantum autem reiicere regimen diaphoreticum non ſim author, vti in caſibus allegatis Medicorum Polon. legimus, et reiectis ſtragulis, diureſin, violenta encheireſi extorquere. Habeat haec methodus morbum per veſicam vrinariam euacuandi felicem ſemper ſortem! Si ipſa natura per potum copioſum, adaequatum, ſerum feruidum factum ab vrente ſucco nerueo, per renes expellit, tunc tutius res agitur. Adaequatus autem potus eſt gratus, ex vino, cum ſufficiente quantitate ſacchari, parca tamen, edulcoratus, et ad duas tertias lymphatus. Medici Poloni decoctum auenaceum cum nitro et melle frigidum bibendum dederunt: interim ſimul pectus aqua calida lauarunt, methodo, e diametro contraria *Hahnianae*, Cap. IV. §. 22. ex Eph. Nat. Cur. allegatae. Medici Poloni, citato loco fatenter, non omnes aegros ſua methodo conualuiſſe, et idem dicendum erit de methodo pſycholuſica. Et quae methodus gloriabitur omnes ſanaſſe morbos? Illa ſane merebitur inſeri *Valentinianae Praxi Infallibili*, ante annos circiter quadraginta, in quarta forma editae. Nec ſerum lactis, coagulo paratum, vel cremore tartari, vel

vino

vino moſellano, poſtea etiam paululum lymphatum, pro potu reprobandum eſt, frigidum, ſi placet, bibendum, nec parce, modo hauſtibus modicis. Frigidus potus citius petit renes, quam calidus, et maiore bibi poteſt quantitate; ſcopo dilutionis, et defecationis ſanguinis. Sane, quae quatuor horis octo menſuras aquae frigidiſſimae bibit, et per vrinam reddidit, viſcera optime diluta habuit aegra. Vide ſupra. Aegris, a ſpaſmo meſenterico liberis etiam in hunc diureſeos finem poterunt dari acida vegetabilia, citri, berberum etc. in potu auenaceo, hordeaceo, cum rad. ſcorzon. c. c. Potum frigidulum etiam noſtris aegris, cum bono ſucceſſu exhibitum fuiſſe, ſupra exhibuimus, ad euphoriam aegrorum. Conſentimus etiam cum Celeb. *Pommio*, in infundendis clyſmatibus leuiter frigidulis; frigidam aquam, parcis doſibus, interne ſumtam minoris periculi eſſe, quam externe largiter applicatam. Proſtant de potu frigido in febribus, apud ſcriptores, encomia ſuperlatiua multa. Anno 1724 Anglus quidam *Hancock*, frigidam, in opuſculo ſuo, *febrifugum magnum*, ſalutauit, et non ſolum omnibus febribus malignis, ſed et ipſi peſti frigidam obuiam ponendam eſſe putauit. Non inſolitum eſſe hodienum frigidae vſum in febribus malignis, indicant Comment. Lipſ. de rebus, Vol. I. p. 240. ex italico quodam opuſculo, nempe aquam frigidam loco ſudoriferorum, et loco puluerum, ventriculum incruſtantium, in febribus petechialibus eſſe dandam. Ingeratur itaque frigida paruis iteratis hauſtibus, vel alius tenuis palato et ventri-

culo gratus potus frigidiusculus, tantum, quantum renes parua mora reddunt. Solet enim frigidus potus facilius renes petere, quam calidus sanguinem ad sudorem lente exagitans; omnibus tamen circumstantiis et symptomatibus bene pensitatis.

§. 6. Sanguinis euacuationes communiter efficaces habentur ad febrilem infringendum spasmum, et reuera saepius id praestant, vbi plethora aegros occupat, et sanguis valde exaestuat, vel in viscere quodam stagnat, inflammationem excitaturus. Euacuentur itaque primis morbi diebus, vnciae aliquot, numero septem vel octo, habito respectu aetatis, et subiecti, licet miliorum certo adfuturorum adsint signa pathognomonica, vel prima vestigia. Vetaret quidem venaesectionem obseruatio, in *Home* medical Facts, and Experiments reperibilis, quod, quibus secta fuit vena in febre miliari, Gandaui grassante, media hyeme, ne vnus euaserit, licet vesicatoria et vinum, primaria roborantia fuerint adhibita; verum, si inflammatum adest viscus, eius ratio primaria est habenda, si non, modica venaesectio locum habebit. Attendendum enim, si in qua febre, ad virium naturae conseruationem, quia nerui laborant, quibus pabulum nullatenus surripiendum. Forsan repetitas adhibuerunt, Gandaui, venaesectiones. Forsan vinum liberaliter est datum. Insidiosa est febris. Vti in omni proposito opportunitas est obseruanda, ita et hic circa sanguinis euacuationes agendum, nec iis pertinaciter insistendum:

ſtendum: vidimus enim per illas repetitas, Cap. III. §. 6. a ſanguine totum ſpoliatum corpus; et *Bonetus*, in Sepulchreto, de febribus continuis agens, caſum ſimilem, de principe iuuene, per ſanguinis varias euacuationes, in febre maligna factas, adeo euacuato, vt nihil eius in corpore reſtiterit. Cum febres tales malignae, ſub praeſente anorexia, ſanguinem, et inde neruos, nutriri et refici non permittant, ſudor praeterea, et vrina eius quantitatem perpetuo minuant, quid mirum, ſi coniunctae eius, per artem factae, euacuationes, illum totum exhauriant. Si haemorrhoidibus laborarunt aegri, ano adplicandae ſunt hirudines, quin, abſque euidenti moliminum haemorrhoidalium concurſu vtiliter applicabuntur, in omnibus febribus malignis, ob praeſumtam ſanguinis, in viſceribus abdominis ſtagnationem, et ad imitationem vſus celebris illarum in Polonia, (conf. Primitias Med. P.) in hiſce febb. Proſunt equidem in aeſtibus volaticis hyſtericis, aliquando ſanguinis ventilationes, et legimus in Ephem. Nat. Cur. D. III. A. 4. Obſ. 73. aeſtus volaticos, praecordiorum dolores, et anxietates, quaſi mortiferas, ſola venaeſectione fuiſſe curatas, additis, pro re nata, iuſculis vinoſis. Vide Additam. ad §. 92. Puerperis, lochiis deficientibus, praeſente iam excretione miliorum, venaeſectio in pede conuenit, abſque diutina tamen immerſione pedum in calida aqua, quia haec vires frangere valet. Et hoc modo, generaliter, ſecundum primam indicationem, febri miliari obuiam itum eſſe puto. Cui, ſi ſatisfactum eſt, manus mox datura eſt victoria.

§. 7. Quod ſecundam attinet indicationem, quae vires vitae fulcire, i. e. genus neruoſum roborare docet, illa omni modo et via, quibus animae prudenter gratificare valemus, peragenda eſt, exhibendo, omni ſenſorio reficientia, et recreantia quaeuis, primario autem, quae per ſaporem guſtumque agunt, et quae per ventriculum, non ſolum ad cordis neruos, ſed ad ipſum cerebrum virtutes ſuas ferunt, inter quae primarium eſt vinum, palato gratum, non oligophorum, ſed *το* C. O. S. praegnans, doſi tamen medica ſemper propinatum, vinum rhenanum, virtute diuretica ſimul praeſtans. In eundem roborandi finem commendatus ſit potus frigidulus, gratus, neruos demulcens, et illos ſuauiter ſimul tendens, ad aegri prudentis, et ſibi temperantis placitum. Quid notius, ad potus frigidi robur probandum, quam vulgi experimentum, quo, dum a lypothymia corripiuntur, hanc hauſtu frigidae reprimunt: taceo, frigidae adſperſionem in faciem, vel, quod efficacius agit, ad guttur, in lypothymiis, ſubito fructuoſam. Certe, ſi in hac febre lypothymia accederet aegro, loco pſychroluſiae vniuerſalis, haec ſpecialis ad guttur indemnis erit. Serum lactis cum vino rhenano paratum ad aliquot vncias per diem, repetito, bibere licebit. Si aeger cibum appetit, panis biscoctus, ſapidus, odorus conuenit, et poma fragrantia, matura. Si ex animalibus, et, *ſi ventriculi digeſtioni fidere licet;* paucum carnis vitulinae ſucculenter aſſatae, brodium aqua temperatum conueniret, prae pullis gallinaceis, et auibus ſylueſtribus aſſatis, exſuccis.

ſuccis. Paruum volatile, quod in carne ſucculenta haeret, vti liquori gaſtrico conueniens, ita ſanguini pabulum nerueum communicat. Parciſſimo tamen vſu, et iunctis acidulis. Iuſcula, ſi appetant aegri, tenuia ſint, pinguedine carentia, ſucco citri, berberum, vino acido parum gratificata. Valet muria braſſicae: Betae rubrae; aceto conditae. Non abſque ratione commendatur aegris, contra vigilias pertinaces, cerebrum, vel vitulinum, vel ſuillum, vel ouillum, leuiter tortum, delibando quaſi, comedere; nam, quemadmodum emulſiones ſeminum, feliciter interdum vigiliis opponuntur, ita, haec cerebra, emulſiua quaſi ſua ſubſtantia neruos etiam demulcent. Potus baſis ſit decoctum hordei, vel auenae, prae ceteris diureticae, vel orizae, pane ſapido, vino, ſuccis acidulis conditum. Cereuiſia tenuis, non lupulata, acidula, auenacea. Nec ſerum lactis dulce, coagulo vitulino, vel ventriculo ſecundo, reticulo, praeparato, paratum, et ſic naturale reprobandum eſt; melius enim eſt tale, quam illud, quod per diutinam coctionem lactis et euaporationem in caſeoſam ſubſtantiam, et adfuſam poſtea aquam paratur, vtpote non ſerum lactis, ſed aquam, ſubſtantiamque caſeoſam lactis continens. Quod acido citri, vel cremore tartari paratur, verum etiam eſt lactis ſerum, et poſterius quidem, cum cremore paratum, ſcopo diureſeos, omnia antecellit: prius autem, coagulo vitulino paratum, ſimul nutriens, conualeſcentibus optimum. Valent porro quaeuis virium fulcimenta ex fragrantibus quibusuis, quin pro idioſyncraſia aegri,

 ex

ex foetidis, et male odoris, vtique neruinis. Spiritus ſalis ammon. vrinoſus, pro odoratu diligenti locum habet. Valent, quae viſui ſunt iucunda, quae aures demulcent. Valent denique leues corporis frictiones: blandiloquia, conſolationes, et omnia, quae animum erigere, et ſomnum reficientem, vigoris vitae, et recreatae naturae teſtem inducere valent. Sunt, (*Ranchinus*, in Praef. Tractatus de Senio, allegatus) qui in virium defectu, teſticulis, imo feminali, roborantia applicare ſuadent, argumentis non ſpernendis; itaque illis viam hanc, vel ſiccam, vel humidam praecludere nolumus.

§. 8. Tertia indicatio erat, excretionis periphericae non primariam eſſe habendam rationem. Haec negatio non iubet nullam excretionis periphericae eſſe habendam rationem, ſed admittit aliquam, et quidem nullatenus negligentem. Nata eſt haec indicatio ex obſeruationibus, quae docuerunt miliorum copioſiſſimam excretionem, eodem modo, quo variolarum, petechiarum, morbillorum carbunculorum copioſa excretio funeſta eſſe ſolet, funeſtam fuiſſe, quia vires vitae tolerandis iſtis excretionibus, donec reſoluantur, vel ſuppurentur, impares ſunt. Veſiculae miliares, etiamſi ceu ſymptoma conſiderandae veniunt, tamen illarum, ceu ſymptomatis magni, ſtatum neruorum alteratum indicantis, et morbum duplicatum, quando et ipſa febris, pro noſtra diſquiſitione ſymptomatica eſt, et viſceris alicuius inflammatoriae iuncta, magna habenda ratio.

ratio. Datur praeterea febris, cum typo miliaris agens, abſque excretione miliorum, ideoque miliarizans dicenda: vti datur febris petechialis, abſque petechiis, ob typum tamen petechizans dicenda. Interim in vtraque animus ad excretionem exanthematum eſt aduertendus, ad neruorum et morbi ſtatum cognoſcendum, et quidem magis in noſtra febre neruoſa, ceu in parte ſolida magis ſontica haerens, quam in petechiali, quae in parte fluida, facilius reſolubili, ſanguine, nidulatur. Medici Poloni, in ſuis Primitiis, et caſibus ſupra allegatis, excretionis periphericae ſuperfluam pro noſtra opinione, habuerunt rationem, dum operoſa frictione, teſte §. 14. Cap. III. *tres ſeptimanas, quotidie per integram horam, ter in die*, viduam fricarunt, ad purpuram veſicalem euocandam, auxiliante vapore ſuccini, laneo panno excepto. Fallaciam autem cauſae non cauſae adfuiſſe autumo: nam, qui ſecutus eſt melior morbus ſtatus, et aegrae melioratio, plus frictioni, et fumo ſuccini, quibus nerui roborati ſunt, et ſanguis periphericus in circulum reductus eſt, attribuo, quam excretioni miliari. Teſtantur interim ſic producta milia, et inſequens leuior aegri ſtatus, de neruorum robore. Tantam vero habere excretionis negligentiam, quae ſtragula remouere, et aërem frigidum in conclaue admittere iubet, exercere non licet. Caſus Cap. II. §. 6. de tali negligentia fatali teſtatur, ex *Sydenhamii*, ſolidis, caſte tamen applicandis, monitis, male applicatis, forſan nata; et forſan tanto magis talis, quia *Hamilton*, vbique, contra ſui compatriotae

patriotae monita, omnem laborem in ſudoriferis poſuit. Medium tenuere beati. Putridi aëris conclauis excluſio neceſſaria eſt, in quo aeger decumbit; nec ille adſtantium copia, nimioue calore eſt exaeſtuandus, vel impuritatibus deprauandus. Stragulis aegri tegendi ſunt, ad calorem naturalem, et lenem diapnoen ſeruandam, non autem ad illos ſuffocandos. Facilius, et felicius, potum frigidulum ferunt aegri ſufficienter tecti, quam nimis leuiter tecti. Omnem reſpectum ad diapnoen reiicere, et peripheriam corporis frigida aqua conſtringere, non ſim imitator, nec commendator, donec experientia omnem priſtinam methodum inanem declamet. Fallax ſit tantundem experimentum: et, ſi inualeſcit haec frigida methodus feliciter, vnice neruorum ad actiones vitales conſeruandas reſtauratio habeatur.

§. 9. His praeſtauratis, viam regiam curae ſtratam eſſe puto. Cum autem grauia huius morbi ſymptomata Medicum facile in auia ducere poſſunt, neceſſarium duco primaria illorum allegare, et quomodo illis obuiam eundum ſit, ex caſibus praecedentibus docere: Sunt autem 1) *Pectoris oppreſſiones*, cum pulſantibus in cordis ſcrobiculo, vel in hypochondriis, arteriis: quae, ſi inſurgunt, clyſter iniiciatur, octo vnciarum ex infuſo cort. caſcar. et rad. valer. paratus, ſubtepidus, quin frigidulus, acuatus nitri depurati drachma ſemis. Crura fricentur a pedibus ad genua vſque; et veſicatoria ponantur in fine muſculorum gaſtrocnemiorum, vel ad femora

interna,

interna, ad methodum *Hamiltoni*: plantis pedum autem emplaſtrum de pice ſuppiantetur. His praemiſſis, pectus pannis laneis, fumo ſuccini imbutis, ad methodum Medic. Pol. in Primitiis ſupra allegatis, maxime circa coſtas, ob neruos intercoſtales, fricetur, eleuentur inde puſtulae, vel non eleuentur, modo ſpaſmus, pectus conſtringens reprimatur, et ſopiatur. Praeterea ſcorbiculo cordis linteum duplicatum ſpiritu frumenti, vel vini madidum indatur; ex quo aliquando femina hyſterica, non tamen, nec puerpera, nec febre miliari, ob multa huic febri propria ſymptomata tamen, certo miliarizante laborans, tantum contra hunc ſpaſmum meſentericum, arterias, cum tumore ſcrobiculi interdum, eleuantem, proficiebat, vt ſibi totum pectus ſpiritu frumenti calido obtegi faceret, cum mox inſecuta ſanitate. Facile permiſiſſem totum eius corpus, methodo polonica, linteo, tali ſpiritu grauido inuolui: quemadmodum *Primitiae*, ſaepius allegatae, illud ad ſudoris euocationem commendant: laneum enim induſium, ex anglico panno, Flanel dicto, quo induta erat, cutis poros magis claudere videbatur. 2) *Faucium ſtrangulatio*, cum deglutiendi, et loquendi impotentia, ſi cum coaceruatione viſcidi, per oeſophagum ſimul aſcendentis contingit, per rhabarb. gr. 10 vel 12, cum liquore nitri fixi, gutt. totidem, ſeu ſalis tartari gr. 3 vel 4. leuatur. Hypochondriorum autem ſimul fiat ligatio, in vtroque ſexu. 3) *Lypothymiae* ſi inſurgunt, praeuiis oſcitationibus, itidem hypochondria conſtringentur. Aluus, ſi vltra

qua-

quatuor et viginti horas clauſa fuit, clyſtere, granis aliquot aſae foetidae, cum aceto ſolutae, condito, educenda eſt. Reuocata, per odoramenta empyreumatica, aduſta varia, vel per ſpiritum ſalis ammoniaci anima, ſuſtentetur grato odore, quem vinum rhenanum vinoſum, cum ſpiritu ſalis dulci mixtum, vel, quem panis familiaricus, niger, acidulus, cum ſpiritu quodam aromatico, vitae balſamo ſuaue olentiſſimo, irroratus praebet. Omnis moueatur lapis, ne debilitas praeſens, lypothymiis augeatur. Ideo perpetuo in manibus habeant vitrum ſpiritu ſalis ammon. ad tertiam partem repletum, quia ex ſuperſtite vacuo, altius in nares euolat, quam e vitro toto repleto. Vinum non oligophorum, ſed probum, vinoſum, lymphatum, et ſaccharatum, in iuſculi forma, interdum praebeatur. 4) *Vigiliae*, ſi perdurant, potus, verſus noctem paratus non ſit totus aquoſus, ſed vini rhenani, vel canarienſis probi, vnciae 2 vel 3 librae vni addantur, et aquae menthae vnciae 4 vel 5, vel aquae cinn. ſ. v. vncia vna. Aqua menthae, ex oleo ſuo parumper albicans, blanda ſua aromatica amaritie, ſoporifera eſt. Caput radatur ſuper ſuturam coronariam, et in occipite, et denudata loca, oleo bono populeo, tribus vicibus per diem, calide fricentur: cauendo, ne multum erigantur aegri ſub vnctione. Plantae pedum, eodem oleo blande fricentur. Veſicatorium nuchae imponatur, non, vt putares, ad ſuperfluos humores e cerebro euacuandos, ſed, vt calore, quem per inflammationem cutis, toti encephalo communicat, ſomnus inuitetur, quemadmodum

id,

id, non vna vice, in ipſis deliriis, factum eſſe obſeruaui. *Hamilton* contra inquietudines, veſicatorium pone aures ponere iubet, quae loca magis incommoda eſſe ſolent, ob ſitum in lateribus prohibitum. Facile autem cum illo conuenies, veſicatoria, omnia remedia, ſpirituum commotionem ſedantia, et ſomnum conciliantia ſuperare. Licet tantus veſicatoriorum Panegyriſta haberi nolim, attamen, cumulum elogiorum, quibus ab aliis Practicis cumulantur, reticere mihi non licet. Celebris Viennenſium Practicus, *Storckius*, praeter mitigationem deliriorum, et furis, quandoque etiam humeris, et nuchae applicatis, mentis ſerenitatem reparatam attribuit. Chirurgus quidam Anglus, *Ingram*, qui magnam peſtem conſtantinopolitanam, anni 1751 anglico idiomate deſcripſit, veſicatoria ſpiritus animales excitare, humores circumagere, circulationem ſanguinis promouere, obſtructiones vaſorum capillarium reſerare, et ſudorem, vrinamque pellere aſſeuerat. Suffecit mihi, *interdum*, ceruici applicitum, obtenta ſopitio deliriorum, et vigiliarum, meo iudicio, modo ſupradicto, conſ. Commerc. liter. Norimbergenſe, A. 1741. p. 355. vbi lis mota circa vſum veſicatoriorum, in febribus exanthematicis, nuchae applicatorum, ad agrypniam leuandam, cum eorum vſus confirmatione. Sub veſicatoriorum vſu, commode, verſus noctem, granum dimidium laud. opiati, cum camphorae gr. 1. cort. caſcarillae gr. 10. aegro dentur, et pro aetate, et circumſtantiis, idem puluis poſt tres vel quatuor horas repetatur, imo, abſente forte ſiti, pulueri

gutta vna ol. abſinthii deſtill. veri, vel myrrhae gr. 3. addantur: balſamica enim amarities, vti roborat, ita ſopit neruos. Placat inquietudines etiam infuſum fl. papav. errat. (Cap. III. §. 11.) et recordor, me olim acute febricitanti, infuſum herbae roſmar. paluſtris, narcoticae, leuiſſime tinctum, ad blandiſſimum ſudorem, cum febris magna mitigatione, exhibuiſſe. 5) *Pulſus arteriarum, in cordis ſcrobiculo*, vel *in hypochondriis*, vigilias nutriunt, et anxietates augent. Spaſmi meſenterici actio eſt, vicinas arterias in altum euehens, et vitalibus corporis functionibus, pernicioſae confuſioni tradens, quin ipſum cerebrum ad deliria diſponens. Iunguntur communiter aeſtus volatici, et brachiorum ardores, miliorum praecurſores. Quicquid praeter leues alui ſubductiones et clyſteres (§. 9.) frigidulos, ſex vel ſeptem vnciarum, ad circulationem ſanguinis, in abdominis viſceribus, aequalem reddendam, contra hos aeſtus, ſpaſmo velificantes agere licet, id tartaro vitr. tach. cum nitri aliquot granis nupto, agendum, vt horum refrigerio, ſanguis aeſtuans, in retardata circulatione, ſpaſmi ipſius matre, temperetur. Ex his ſpaſmis ſaepe dolores abdominis ad totum corpus vagantes, vti ſupra in femina illa, trigeminorum matre, ad ſcapulas vſque peruagantes fuere. Si aeſtus volatici enormes ſunt, cum anxietatibus mortiferis, vide, an vſum habeat, pro tempore, venaeſectio, cuius §. 6. mentio facta, vel iuſcula vinoſa, ſpaſmum diſſipantia: vel, an aegris, anxie frigidam aquam poſtulantibus, contra aeſtus concedendus ſit: femina enim,

enim, cuius in principio huius §phi meminimus, quae ſpiritu vini calido, in paroxyſmo febrili hyſterico, pectus ſibi lauari iubebat, cum multo emolumento, largum hauſtum frigidae, quam adſtantes ipſi cochleatim porrigere intendebant, ex arrepto cantharo bibebat, et eo ipſo ſimul leues quoſdam motus conuulſiuos reſiduos compeſcebat. Prater applicatum in cordis ſcrobiculo, vini vel frumenti ſpiritum, aſae foet. gr. duo cum theriacae coeleſtis gr. vnico, contra hunc ſpaſmum valent. 6) *Deliria* mitigantur iiſdem remediis, quibus vigiliae ſopiuntur: aucta ſimul doſi potus vinoſi, roborantis, qui meandros cerebri halitu ſuo demulceat, et lambat, vt a tenſione ſua remittat, et ſomnolentiae locum cedat, dum mediante modico ſanguinis adfluxu, vaſorum inanitionem, deliria augentem, praecauet. vide Cap. III. §. 6. Addantur inſuper frontalia, et emplaſtra ad tempora. Plantis pedum diſciſſae columbae adplicentur, et ad *Hamiltoni* praeſcriptum veſicatoria maiora, inter ſcapulas et brachia, et femora interna applicentur. (De corio aegri agitur, attamen ad eius ſalutem, modo non ſit immoriger.) 7) *Conuulſiones* ſi apparent, non ſolum in nucha, et ad muſculos gaſtroenemios, quin ſimul in mox nominatis locis, veſicatoria locentur, quia ſeuerius cum illis agendum: plantis pedum vero emplaſtrum de Galbano, cum picis quarta parte; vel fermentum panis ſecalini, cum quarta parte ſalis mixtum adplicetur, quo horum neruornm irritatione, reliquorum ſyſtema ab irregulari motu reuocetur, et ad naturale aequi-

 librium

librium reducatur. Quaeuis itaque per irritationem neruos reliquos indirecte ſopientia, hic ad fulcimenta virium vitae numerari poſſunt. Pauores ſaepe, in hac febre, praecedunt conuulſiones, vti id in infantibus ſolennius contingit, ſed et interdum ſequuntur ſopitas; tunc fumo ſuccini, bis in die, caput perfumetur: quo mediante etiam interdum moleſtus ille aurium ſuſurrus mitigatur. Praeſentibus autem conuulſionibus, vel illis interpellantibus, artus eſſentia ſuccini ſaturata, ad *Hamiltoni* methodum, vel oleo amygdalarum, cui ſexta pars Petrolei admixta eſt, illinantur. De hoc, nec non de oleo ſuccini guttae duae volis manuum, et ſoleis pedum ſalutariter adfricabuntur. Applicentur praeterea clyſmata lactea, tepida, cum caſtorei et aſae foetidae, aceto reſolutorum ana, ſcrupulo. Saccharum ſaturni, in ſupra recenſitis caſibus, in auxilium vocatum fuiſſe, miraberis lector, et neruinum habitum; et neruinum illud tale eſſe, quale omne venenum, forſan dices. Recte, ſi illo abutimur, nec cum illo eadem agimus cautione et prudentia, quali hodie, plures Medici, (et Iudaei in Vkrainia, iam ante ſeculum) cum fortiſſimo veneno, mercurio corroſiuo, contra morbum venereum egerunt, (de quo vide etiam Commercium lit. Norimb. 1741. p. 6.) et hodienum *Allionus* contra purpuram mil. ſuadet. Neruos figulorum, et qui cum ipſis viuunt, canum et felium, ab inhauſta atmoſphaera, per lythargyrii vaporem, ſaturnina, paralyſin pati immedicabilem, notum eſt: taceo vinum lythargyriſatum, et butyrum in plumbo adſerua-

adſeruatum, quod ſecundum Ephem. Nat. Cur. Vol. VII. monachis colicam lethalem peperit. Verum, ſacch. ſaturni duo, vel tria, quin quatuor grana, ſemel in die data, non ita violenter agunt, quam duo grana mercurii corroſiui, per diem, conſumta. In neruos febri miliari laborantes, reactione quadam, a me non demonſtranda, agendum eſſe, iudicaui, et ad hanc ſaccharum ſaturni elegi; et, ſi forſan inſequentem bonum effectum, huic praeſumtiuo reagenti adſcribere non potui, de non inſecuta quadam noxa obſeruationem habui, quam candidus adieci. Priſcis Medicis non adeo infamis erat eius vſus prouidus, vti *Schröderi Pharmacia*, tam in capite de ſaturno, quam in illo de nitro, hoc teſtatur. Egregius ille Medicus Scotus, *Pitkarn*, in ſuis Elementis, ſaccharum ſaturni inter remedia, ſanguinis rareſcentiam ſedantia, locat. *Ettmüllerus* grana octo dat, pro doſi, Melancholicis, morbo ſaturnino laborantibus. Qua indicatione? Quo indicato? 8) *Comatoſus ſtupor* ſi accedit conuulſionibus, meſenterii actio, hyſterica dicta, communiter colludit: eleuata per eius ſpaſmum inteſtina, manuali deuolutione, et faſciis ligatis remouenda ſunt. Proſunt praeterea commendata veſicatoria, dorſi frictiones, ſuppedalia, et oris et faucium diligentes, cum vino acidulo, ſyringationes. Praecedit hic ſtupor aliquando miliorum excretionem, adeo grauis, vt aegris non ſentientibus, excrementa euacuentur: eodem modo, quo in aliis febribus continuis, comite ſtupore comatoſo, contingit: ſic, in Collect. Vratislav. 1726. Octob. pag. 474.

femina allegatur, quae a febre continua, cum ſurditate correpta, non obſtante celebrata venaeſectione, in tantum incidit ſtuporem, vt omnia excrementa, inſcia, redderet. Tandem, cum omnia iudicarentur conclamata, aegra ipſa euigilans, vinum poſcit, quo recreata, nouiſque ſic *vitae viribus fulcita*, adhibitiſque temperatis bezoardicis, milia apparuerunt, et aegra pedetentim ſanitati fuit reddita. Memini, hanc ad rem facientis cuiuſdam obſeruationis, de comatoſo ſtupore, in viro, febri continua decumbente, quam addere, e re fore, duco: Medicus huius aegri autumabat adeſſe forſan in capite ſtagnationem inflammatoriam, et epithematibus vinoſis illam reſoluere tentabat (Cap. III. § 6.). Reſoluebatur, quicquid fuerit ſtagnantis, pro hypotheſi; ſed ſuccedebat delirium furioſum, phrenitis, per biduum, et ad mortem durans. Forſan priſtinam repletionem et ſtagnationem, totalis vaſorum inanitio ſecuta eſt, delirii, vti in allegato caſu, cauſa. In conſiderationem hic trahamus ſimul ſtuporem totius corporis, ſenſus neruorum externi, de quo querebatur aeger C. III. §. 6. 9) Mirabili autem ſymptomati, *Excretioni illi gelatinoſae*, per aluum, ſi occurrere vtile iudicaueris, grana duo camphorae, pilulis Becch. n. 7 vel 10. lege artis addita, ſpaſticam illam lymphae extorſionem tollent. 10) *Sudor effuſus vrens* eſt ſymptoma, omnia fere reliqua, moleſtia ſuperans: criticus, cum mentis conſtantia, et interpellante ſomno reficiente, tolerandus eſt, licet acidum ſpiret. Nec ideo, cum *Hamiltono*, acidum ſerum pro cauſa febris miliaris haben-

habendum; quia in ſanis ſubiectis ſaepiſſime acidum ſpirat ſudor. Vbi autem vigiliae, et mentis alienationes coniunctae ſunt, ibi diureticis acidulis, gratis, vegetabilibus, citri, berberumque ſucco, melle pro guſtu aegri addito, niſi contradictoria quaedam adſint, ſerum ſanguinis ad renes amandandum eſt. Potus frigidulus, copioſe, per moras, hauſtus, huic ſcopo velificabit. Serum lactis per quaeuis acida paratum huc cooperabitur. Dorſum linteo, ſebo hircino inducto tegendum, quo minus a ſudore vratur, quod nullatenus nec ſudoris repulſionem, nec praeſentium veſicularum retrogreſſionem efficiet, nec exituras impediet: praeterea, et veſiculis, in totum non apparentibus, nerui, a ſudore mitigato placabuntur. Quae ſub his circumſtantiis obſeruatur 11) *vrinae parcitas*, ſudoris profluuio vnice eſt adſcribenda: copia autem eius, abſque bilioſis mucoſiſque particulis, ſedimentum formantibus, turbatam quidem per renes ſecretionem indicat, attamen, interdum criſin bonam agit. 12) *Diarrhaea* ſi incidit, cautiſſime roborantibus, leuiter amaris, e. g. rad. cichor. cort. caſcarillae, et talibus agendum; non adeo, ad diarrhaeam tollendam, quam ad tunicas inteſtinorum excretorias roborandas. Euacuantur enim ſic ſalutariter oppilata viſcerum vaſa; ideo directe, neque opiatis, niſi forſan adfuerint conuulſiones, neque adſtringentibus, contra illam agendum. Rhabarbari gr. 12 vel 15 etiam locum habere poſſunt. 13) *Frigus internum* aegros percellens, terrificum eſt ſymptoma, quod non quidem gangrae-

nam viſcerum indicare crederem, ſed neruorum quorundam internorum, innominandorum, debiliter iam oſcillantium, ſubſtantiae compreſſionem, cum ſtupore, eſſe iudico: vel, quod rigor quidam affecerit leuis ſyſtema neruorum, vt aeſtum ſanguinis non percipere poſſit. Certe ſpecifico neruino medicamento hic opus erit; et hic locum inprimis habeat moſchus, ſolus ad gr. x. datus, vel camphorae vnitus, ex ſero lactis, cum vino canar. parato dandus. Symptoma puerperis proprium, et ſonticum in hac febre, 14) eſt *lochiorum fluxus* parcus, vel plane retentus. Quemadmodum hoc etiam extra febrim miliarem graues parit ſequelas, quidni comite illa. In omni puerperio itaque, ſtatim huc eſt aduertendus animus, ſub bono regimine, praeſertim reſpectu potus. Iam, iam commendatum ſerum lactis, cum vino canar. paratum, lochia, et vrinam pellens, ipſis conueniens erit. Modeſtiſſima manualis abdominis commotio, et ſubditus ſaepe per diem peſſus, ex linteo, ſebo hircino obducto, hic multum valet. Si ſuaue ipſis olet empyreuma, ex toſtis *Coffée* granis, et, ſi inſtanter potum inde paratum appetunt, ſuſpectum aliquibus, quin vniuerſaliter damnatum, ſignum ſit reſtituti, et placati toni neruorum, empyreumatis actionem in ſe rurſus fere adeo dulce ferentium, quam fumum ardentium, pro tempore, plumarum, et ardenter appetentibus concedatur eius lympidi *aliquid*, ad placandam naturam, cum ſaccharo, cui guttula vnica olei aurant. vel lacinia cort. aur. recentis addita eſt. Cremor lactis autem, flatus et anxietates generans, abſit.

§. 10.

§. 10. Colophonis loco. Febrim miliarem, ſit idiopathica, ſit ſymptomatica, negligenter tractare nolim ſuaſor eſſe, multo minus accedere huic conſilio, quod in hunc finem praebent Medici quidam. Negligentiae notio, vel terminus eſt valde generalis, omnis generis ataxias admittens miliorum excretio non eſt ſemper ſolum ſymptoma, ſed ſaepe ipſe neruorum morbus: et licet ſit interdum ſymptoma, tamen eius numeroſa vel non numeroſa excretio neruorum ſtatum indicat, et virium vitae diſcrimen. Qui denique, vti Illuſtris *de Haen* fatetur, interdum *ex admiſſa leuiſſima aura pernicioſe habent*, an negligenter illi ſunt tractandi? Superent quidam feliciter negligentiam, an haec omnibus eueniet felix, et ſalutaris. Sic Medicus Polonus, qui Cap. II. §. 4. ſtragula remouit, et aërem frigidum in conclaue admiſit, ſanitatem omnibus non reſtitutam fuiſſe fatetur, ſed quoſdam (an hac methodo?) periiſſe. Accuſat laxitatem habitus aegrorum ſub hac methodo mortuorum: verum febris miliaris *communiter* eſt morbus habitus laxioris, neruis ſenſibilioribus abundanter praediti. Ideo excretiones illorum, milia, praeſente graui febre non flocci habenda. Sunt *communiter* naturae, non malae methodi, dudum inter Practicos, circa febres exanthematicas male notatae producta. Sic Illuſtr. *Störkius*, p. 32. *Anni medici*, de femina quadam notat, illam miliaria alba, *abſque vſu remediorum alexipharmacorum*, copioſiſſima habuiſſe, et mortuam eſſe. Apparet autem, *ſudorem*, qui *tantus et adeo largus fuit, vt totus lectus in-*

de maduerit, adeo ſanguinem exhauſiſſe, et neruos adeo grauiter ſucco ſuo ſpoliaſſe, vt vires vitae omnes deficerent. Apparet itaque milia, et quidem copioſiſſima, abſque vſu alexipharmacorum gigni poſſe, nec ſemper ſiniſtrae artis opus eſſe. Originem cepit haec opinio ex monitis iuſtis *Sydenhamii*, *Stahlii*, aliorumque, de caute agenda methodo ſudorifera, quae tandem ita inualuit, vt omnis ſudoriferorum vſus reiiceretur, perque vere frigida ſudorem pellere tentaretur. Contra abuſum alexipharmacorum in febribus acutis, ideo iam ab ineunte hocce ſeculo clamatum eſſe noui, dum adhuc Halae Magdeb. ſtudiis incumberem, adeo, vt inde plebi, a morbo febrili acuto correptae, cum aegrotare inciperet, metus de miliis adfuturis naſceretur, et ideo Medicum anxie moneret, ne arte et arbitrio milia crearet. Arte creatores tamen habes, qui fumo ſuccini illa exſurgere faciunt. Imprudens aeger morbi indolem ignorans, omnia Medici in manu poſita eſſe putat. Vbi inflammationibus pulmonum, vel inteſtinorum, vel arthritidi iunguntur milia, quis aegros ſtragulis exuere audebit, dum hi affectus reſolutionem per ſudores poſcunt. Criticos dari ſudores in febribus acutis; quis neſcit; an hos ſufflaminare licitum erit, praeſentibus miliis, antipraxia temeraria.

§. 11 Veras, indubias, manifeſtaſque criſes in febri miliari alba, videre, valde raro mihi contigit. Quas ita apellare potuerim, plerumque imperfectae fuerunt, et infidae.

CAPVT



CAPVT VI.

De Prognosi.

Dum aegris medicinam facimus, nunc nobis ipsis, nunc aegris, cum exquisita prudentia, experientiae innixa, probabilis de exitu morbi danda est Prognosis. Ex datis itaque in prioribus capitibus, huius febris casibus, cum eorundem euentibus, Prognosin de huius febris euentu formare studebimus.

Vesiculae miliares albae, pellucidae, absque febre, nullum inferunt periculum.

Vesiculae miliares albae, cum febre idiopathica, i. e. ipsis neruis primario patientibus, si numerosae sunt, periculum, per se, inferunt.

Vesiculae miliares albae, cum febre ex labe inflammatoria visceris, vel ex stagnatione humorum circa artus orta, vel variolis iunctae, per se periculum non inferunt: primarium enim momentum, circa primarium versatur morbum: attamen, quando in magna copia adsunt, morbum reddunt grauiorem, vehementer compatientibus neruis.

Febris miliaris alba sub larua catharralis interdum inuadit, et mox typum febris intermittentis tertianae mentitur, cum insidiis clandestinis funestum exitum intendentibus. Miliis confertim apparentibus febris quantocyus cort. peruuiano extinguenda.

Quo maiores anxietates, et brachiorum ardores, eo grauior morbus, inprimis, ſi modeſtis alui ſubductionibus non cedunt.

Quo effuſior ſudor in principio, cum pulſu exili, vel plane miuro, eo maius periculum: ſtagnat enim vbique ſanguis, et cor eius ſufficiente caret copia.

Eandem ſtagnationem in capite, et in pulmonibus genarum indicat rubor.

Diu ſuſpenſa excretio muci narium, et vrinae mala.

Vrina cocta, copioſa, inprimis, cum multo ſedimento, ſpem boni exitus alit; non cocta, copioſa tenuis, non mala, ceteris paribus, conf. Cap. III. §. 10. et Cap. II. §. 4. et Cap. IV. §. 8.

Cutis valde emarcida, flaccida, male. Quo magis enim reticulum nerueum atonia laborat, eo flaccidior cutis.

Strangulatio faucium, cum viſcido, male: attamen eius copioſa excretio bona.

Comatoſus ſtupor, cum involuntaria excrementorum ſolutione male: attamen, ceteris leuioribus apparentibus, non deſperandum.

Subita halcyonia, vti in omnibus febribus malignis, ita hic communiter malae fidei ſunt; nempe, quando aegri ſe non iectigant, ſed inſomnes, auribus ſuſurrantibus, de nullo queruntur incommodo, oblatos cibos non recuſant, quin auide comedunt, pulſuſque illis nec debilis, nec valde febrilis eſt. Hic ſtatus ſpem aliquem incautis faciens, ſaepiſſime ſubito in contrarium vergit: mox enim inquieti fiunt, delirioſi, pulſus fit

fit debilis, cum rythmo, toto febrili, tendines in carpis et in facie ſubſiliunt, frigent manus pedesque, reſpiratio fit citatior, nerui faciei toti collabeſcunt, et tandem reſpiratio, et cordis motus ceſſant. *Iunckerus*, de febre miliari agens, ſtudioſum allegat, erumpente purpura alba, animam efflantem. Miratur, durante morbo ſudaſſe, bene ingeſſiſſe, neque ſibi de cibo, vel potu aliquid detraxiſſe, triduo autem poſt, ab excretione purpurae, nempe die vndecimo, ſumma auiditate, duplam cibi portionem deuoraſſe; qua ingeſta, ſe ſtatim moriturum dixiſſe, in lectum ſe repoſuiſſe, et ſtatim obiiſſe. Voracitas aegri durante morbo, certe fuit delirioſa, non admodum rara, febre acuta decumbentibus. Adſunt communiter anxietates, ſyncopem adpropinquantem indicantes, quae ingurgitationem talem, hypochondria expandentem, ſequitur. Conf. I. §. 2. vbi mucilaginoſus et butyraceus cibus ſyncopen induxit.

Iam iam notata faciei collabeſcentia hoc addere nos monet, quod communiter palleſcant aegri, in hac febre, vel ad minimum coloris naturalis maneant; indicio, vbi pallent, neruos debiles eſſe, vbi autem color naturalis perſtat, vaſa ſanguifera faciei, ad dilatationem, a ſanguine aeſtuoſo, atonia aliqua, iam inepta reddita eſſe. Quando autem rubor genarum, per maculas diſtinguitur, valde incomplete vehi, et circulare ſanguinem, certum eſt ſignum.

Conuulſiones, modo ſint ſomno interpolatae, non adeo periculoſae ſunt, quam deliria.

Rugiens

Rugiens venter, malus eſt nuntius.

Animi deliquia periculum non augent, niſi reliquis prauis.

Vigiliae ſoporiferis moderatis non cedentes malae.

Diarrheae pertinaces, inprimis cum delirio, malae.

Frigus internum peſſimae prognoſeos eſt.

Quo magis frigoris ſenſus in cruribus ſentitur, eo grauior eſt morbus, eoque magis a paſſione participat hyſterica et hypoch.

Vomitus, cum ſuſurro aurium, et leui delirio, reliquo morbi ſtatu ancipiti, mortem apoplecticam appropinquare indicat.

Puerperis, ſi lochia debite excernuntur, reliquis rebus, licet dubiis, exiſtentibus, non deſperandum.

Grauior ſolet eſſe morbus puerperis, quae tempore grauiditatis ab aeſtibus volaticis multum vexatae fuerunt.

Vetulis non adeo funeſtam eſſe hanc febrim diſcimus ex Coll. Vratisl. Ao. 1725. menſ. Sept. Art. II. in caſu, quem dant de Vetula, quae poſt perpeſſas hyſtericas conuulſiones illa laborauit, et feliciter euaſit, aliis, itidem antea motibus conuulſiuis correptis, ſuccumbentibus. Idem refertur Ao. 1721. Nempe mortuos eſſe multos iuniores et infantes, purpura alba, non autem ſenes. Non adeo feruidus et acris, ſanguinemque in putredinem agens videtur fuiſſe illorum ſanguis: refertur enim ibidem cadauera purpura alba demortuorum, mox in putredinem ceſſiſſe; excepto illo

illo iuuenis, cui per morbum ad mortem vſque ſanguis ex naſo, et ano fluxit, ſine dubio, fermentatione putredinoſa, peracta et finita. Conf. de Immunitate Senum, quoad morbos, Tractatus de Senio. Erford. 1760.

CAPVT VII.

De Praeſeruatione.

§. 1.

Qui periculi occaſiones euitat, ipſum euitat periculum, et ſe ab ipſo malo, periculum inſequente praeſeruat.

§. 2. Febrim noſtram miliarem, ſi euitare cupimus, quomodo occaſiones periculi, ad illam ducentis, euitabimus? Euitabimus, ſi ſanitatem illaeſam ſeruabimus. Aſt hoc idem per idem eſt. *Certum* itaque modum periculum febris miliaris euitandi docere nequeo, quemadmodum *certum* modum febres tertianas, et malum hypochondriacum euitandi docere nequeo: dico *certum* modum. Nam, licet per rerum non nat. iuſtum vſum multi morbi, et ita etiam febres intermittentes, et malum hypochondriacum ſaepe praecaueantur, *certum* tamen per modum id patrari nequit, quia non ſolum tempeſtates aëris multum imperii in noſtrum corpus habent, quas mutare, vel euitare non valemus, ſed ſaepe interna noſtri corporis diſpoſitio ad malum hypochondriacum, quin

quin ad febres intermittentes, ſubdolas egit radices. Hinc tempore hyemali, vel verno, quando febres intermittentes, ex rerum non nat. prauo vſu, per hyemem exercito, graſſantur, communiter et febris noſtra miliaris regnat: licet, per Dei gratiam ſporadice tantum, non epidemice. Si rerum nat. abuſus febrem hanc primario generaret, plebis foret morbus, intermittentium more; aſt tenerorum plerumque eſt ſubiectorum, et lautioris conditionis, in quae aër plus exercet dominii, quam in robuſtiore plebe, licet non abutantur reliquis non nat. rebus. Facilius teneriorum neruorum ſuccus idiopathice, et ſymptomatice in aliquem intemperiem labi poteſt. Quo modo, vel arte, praeterea, a ſubitis animi paſſionibus, quae, vti ſupra monſtrauimus, febris miliaris euidentes, immediatae, factae ſunt cauſae, praeſeruandum. Valde itaque *incertum* eſt, cauſas iſtas innumeras occaſionales, quae communiter culpantur, hanc procreare febrem, et ſimul difficile, *certam* praeſeruandi dare inſtructionem.

§. 3. Dolendum autem maxime, quod *puerperae*, ab vteri onere liberatae, poſt exantlata grauia grauiditatis incommoda, nunc in portum ſalutis ſe translatas eſſe putantes et confidentes, in periculoſum hunc incidant ſcopulum, et ſaepe naufragio pereant funeſto, hocque non ex vitio conſtitutionis aëris, vel rerum n. n. certo abuſu, ſed ex domeſtico quodam, grauiditatis tempore generato et nidulato vitio. Laboratum quidem ſatis eſt pro illarum incolumitate, tempore

pore grauiditatis, acquirenda, variis consiliis; hacque occasione maxime inculpata fuit incauta diaeta, et abusus potus Caffee. Quis autem non crederet febrim hanc miliarem, ante potum hunc epidemicum, et nunc endemium factum, non fuisse puerperis familiarem, cum primario, quin vnice radicetur in turbis hypochondriacis, tempore grauiditatis natis, quas euitare nunquam potuerunt? Stagnationibus, et infarctibus sanguinis in abdominis visceribus, ob sanguinis menstrui per nouem menses retentionem, qui per hoc tempus, nulli depurationi, si non dispositioni ad putredinosam fermentationem vocauit. Inde enim systemati neruoso, maxime autem plexibus mesenterii nutrimentum male paratum fuit; licet idem sanguis per abundantem illorum fotum, illos fortiores reddere potuerit, quod tamen, sinistre in dispositionem ad spasmos declinauit.

§. 4. Haec, licet ita se habeant, illas tamen omni priuare consilio impium foret. Consultum itaque ipsis sit: 1) Sanguinem, per grauiditatem, tribus vicibus, pro subiecti tamen ratione, per venaesectionem minuere, nempe circa finem mensis tertii, et mensis sexti, et decem vel duodecim diebus, ante partus tempus: septem vnciarum quantitate, et quidem semper securius in brachio, quam in pede, in primis vltima vice; 2) obstructionibus alui, quantum possibile obuiam eant, quo recrementa, non solum ex cibis, sed etiam ex sanguine perpetuam habeant exonerationem: ipsoque instante partu, vel clysmate,

vel

vel grano vnico aloës hepaticae aluum euacuent. Inſeruiunt huic ſcopo pilulae mites aloëticae; 3) potu ſufficiente vtantur, frigidulo, ex cereuiſia tenui, vel, quod praeſtat, aqua, in qua panis biscoctus, ſapidus, maceratus eſt, quo ſerum bilioſum, viſcidum, per renes abundanter ſecernatur; nam, licet huic ſcopo etiam potus calidus ex Thee vel Coffee faueat, tamen horum potuum calor comes, accedente forſan ſimul eorum abuſu, flatulentiam quaſi hyſtericam parit, vel ad minimum eius fundamenta ponit, et inteſtina debilitat. Concedantur tamen quando lochia in puerperio morantur; 4) hauſtulum vini rhenani vel moſellani interdum capiant, vel ſerum lactis vino canarienſi paratum, niſi ſoda, vel alio id prohibente primarum viarum incommodo laborent; 5) ſi ab aeſtu volatico vexantur, et hic venaeſectioni non cedit, puluere abſorbente nitrato vtantur, vel, recipe potius, nitri depurati drachmam unam, liquor. nitri fixi, ſcrup. 2. lap. cancror. ſcr. 4. aquae font. vnc. 6 vel 7. miſce. Capiant ex agitata mixtura ſaepe cochlear. 6) motum viribus aequantem exerceant; 7) hypochondriis, coſtis ſpuriis, applicetur, vltimis menſibus, faſcia ampla, abſque conſtrictione, cui emplaſtrum de Galbano inductum, ſuperinſtrato linteo tenuiori, contra moleſtam adhaeſionem, quo muſculi abdominis, thoraci inſertis, et reſpirationi ſimul inſeruientes, roborentur, nec faſciis poſt partum fortiter circumligandis, pro muſculorum ſuſtentatione opus habeant, quemadmodum, in praeſumenda illorum debilitate, communiter, hoc auxilium ſibi recte poſcunt.

§. 5.

§. 5. Alius conditionis homines caueant ſibi a viſcerum oppilatione et infarctu; ſi enim in tantum infarctus, inflammationis genitor, increſcit, vt inde febris accendatur, tunc, docentibus id, ſupra allegatis caſibus, axanthemata miliaria, vel alia ſymptomatice apparebunt. Diſcant euitare morbos neruorum memoratos, arthritidem etc. Τὸ quomodo autem cauere, et euitare, vſus iuſtus, quantum valet, rerum n. n. docebit, niſi aëris quaedam ſpecialis conſtitutio latentem iam, ex quauis cauſa, fomitem, excitet, et ex ſcintillis in flammam incendat.



ADDITAMENTVM.

Cum poſtliminio, Medici Angli, *Fordyce*, Hiſtoriae Febris miliaris, Londini 1753, editae, compos factus ſim, et contenta quaedam huius Tractatus partim adoptem, partim theſi meae contraria videam, cum doctiſſimi, et ſagaciſſimi Auctoris pace, colophonis loco, quoſdam eius aphoriſmos perluſtrare, et quae in illis meae quadrant theſi, illis inhaerere, contraria vero notare, et ponderare mihi liceat, inprimis, quia hic liber, vti opinor, in Germania adhuc rarus eſt, multis vſibus tamen locuples.

Praefando Cl. Auctor pag. 2. notat, non deeſſe homines, qui huius morbi exiſtentiam prorſus renuant, quamuis vix alius frequentius in vtroque ſexu, omni aetate, temporeque, ſiue ſe-

orſim, ſiue aliis morbis intertextus reperiatur; imo aliquando epidemice graſſetur.

Sic *Hamilton* in ſuis hiſtoriis de febre miliari queritur aſſociatos ſibi interdum fuiſſe medicos, hunc morbum ridentes, et vilipendentes. Addit autem (recte) quo non calido regimini, aliiue inepto debeatur haec excretio, quia etiam tenui diaetae deditis temperatiſſimis, et quibus humor ſeroſus, admodum iners abundat, praecipuum faceſſit negotium.

Pag. 3. Aſſerit malum hoc aliquoties magnopere epidemicum reperiri:

„Hoc apud nos aliquando factum eſſe, non „memini. Seorſim potius, et ſporadice „ſaepius obſeruata eſt„.

Ibidem Auctor contrarius eſt illorum ſententiae, qui opinantur morbum hunc alterius eſſe ſymptoma.

„Id quod tamen ſaepius eſſe ſupra oſtendi„.

Ibidem. Morbum idiopathica prodere ſua ſigna, nec alium morbum tantum prae ſe ferre languorem, ſpiritus difficultatem, mentis alienationem, circa praecordia oppreſſionem, in ventre tormina, ſudores effuſos, horrores exanthemati praeeuntes.

Quidni magnum prae ſe ferret languorem, neruis grauiter laborantibus? mentis autem alienatio in febribus petechialibus grauior eſſe ſolet. Ventris tormina ſpaſmo meſenterico ſunt conuenientia: interim nobis rara.

Pag. 4.

Pag. 4. Cum multis aliis laborioſiſſime Auctor in natales huius morbi inquirit, aeque ac multi alii in natales luis venereae, idque vnice ex hac cauſa, quia apud veteres, diſertis verbis illorum malorum non facta fuit delineatio, quin pictura. Quis autem in tantum crederet mutatum eſſe genus humanum, quod, ſi non ab origine eius, et ante diluuium, ob omnes peccatorum et criminum modos generi humano, ad eius fere interitum, effuſum, tamen a reliquis millenariis, abuſus veneris non procreauerit malum, noſtro tempore Neapolitanum dictum; (cum tamen de illo, apud Chinenſes iuſta ſit opinio, quod ibi floruerit, quamdiu exceſſus floruit veneris.) et quod a millenariis hiſce fluidum elaſticum nerveum non produxerit purpuram albam, nec idiopathice, nec ſymptomatice. Ao. 1760. per vxores militum, qui in Pruſſiam Germaniamque profecti erant, in Liuonia remanſas, lues venerea, ruſticis epidemica euadebat, ignota fere huc vſque huic genti. Ecquis autem inde inferret ignotam ante plane fuiſſe luem hanc in Liuonia. Interim huic tempori nunc Epocham luis venereae dant ruſtici, et dabunt. Abuſus commercii venerei, cum feminis, a maritis remotis, in cauſa erat, epidemiae huius. Certe, quas Valeſius, (pag 9. citatus) *Welſchio* Lipſienſi, ſeculum prior vidit aſperitates milii granis ſimiles, et poſt hunc (pag. 10) *Foreſtus* et *Fernelius*, iam ante *Valeſium* extitiſſe credere licebit. Qui ante *Welſchium* et *Valeſium*, reliquoſque hanc tractauerunt febrim medici, ſine dubio cum illis, qui

(pag. 2.) citantur ab Auctore, eiusdem opinionis fuerunt, exanthemata nempe esse vilipendenda. Opera, exemplis, monitisque sedulis grauium medicorum, *Bagliui*, *Sydenhamii*, *Stahlii* etc. exacte morbos, lynceisque oculis, perspiciendos esse vrgentium, vel aliquorum fortuita sagacitate factum esse videtur, quod tandem innotuerit melius hic grauis morbus. Cum sub initium huius seculi Saxones Rigam obsiderent, medici Rigenses prima vice purpuram albam, in feminis quibusdam, quarum quaedam illa moriebantur, moniti etiam a *Welschio*, obseruabant, et multis execrationibus comitabantur globos tormentorum a muris, in hostes proiectos, quod, cum muros ipsi transscendere nequirent, tamen contagio per aërem communicato, incolas vrbis offenderent. Quis autem crederet purpuram albam, ante obsidionem Saxonicam, de cetero non terrificam, sed laxam, negligentem et benignam, incolis Rigensibus nunquam fuisse infensam. Ita etiam in Eph. Nat. Cur. D. I. A. 3. Obs. 281. adeoque in seculo praecedente medicus Poloniensis miratur eandem febrim in Polonia videre, quem *Welschius* Lipsiensem esse dixerat, in puella duodecim annorum, more antiquo, alexipharmacis, et expellentibus, curata. Aderant autem simul alii, qui morbo eodem se decubuisse testabantur.

Pag. 18. Celeb. Auctor opportuniores huic morbo censet omnes, qui sero abundant acriori, minus spirituoso: qui cibo vtuntur nimio, inerti, viscido, vappido, quique se desidiae, aut molli-

tiei

tiei dedere; quique ex imbecillitate valetudinarii ſunt, et qui luctu protracto, iracundia, vel metu graui, neruorum intentione, perturbatione multati ſunt, aut vitali nimis exantlati latice — qui potu calido, tenui, aquoſo, diu nimiumque abuſi ſunt. Prae omnibus autem dolet puerperas hac iniqua forte luctatas eſſe.

Prae omnibus, ſane, grauem luctam cum hoc morbo habent puerperae, non equidem, quod inerti laborent, vel abundent ſero, acriori, minus ſpirituoſo, nec, quod vitiis diaetae ſe dedent, ſed ex grauioribus rationibus, Cap. IV. allegatis. Praeter illas adhuc multi laute viuentes hoc morbo laborant. Metum grauem, vel terrorem neruorumque aliam intentionem e. g. in Neonuptis Cap. III. procreaſſe hunc morbum docet, ſub quauis conditione, et craſi ſanguinis.

Potum calidum, tenuem, aquoſum hunc generare morbum autumat Auctor Cl. et ſine dubio abuſum Potus Thee et Caffee ſubintelligit: ſunt autem plures, tales potus non potantes, tamen huic morbo obnoxii facti. Quid de Chinenſibus hydropotis fieret?

Contra variatum victum ab omni tempore clamatum eſt, quando noui, ad minimum, diu non viſi morbi apparuerunt; verum, niſi in totum victus eſt variatus, e. g. per tranſitum a toto vegetabili, in totum animalem. Nouis eduliis autem interpellare veterem victum non adeo noxium erit, nec craſin ſanguinis primigeniam

 mutabit

mutabit multoque minus praecise, purpuram albam procreare valebit.

Aphorismorum amica perlustratio.

Ad §. 1. 2. Recte existimarunt omnes febres continuas populariter dispersas aliquid peculiaris communis putredinis redolere: non excludendam autem esse causam communem huius febris popularis, et omnem dispersionem vnice contagio attribuendam esse puto, quia quodlibet subiectum, pro receptiuitate sua, ex causa communi, lateat illa in victu, vel in aër, qui magis subito inficit, et alterat nostrum sanguinem insensilo influxu, affici potest. Tanta autem, per Dei gratiam, non fuit vbera huius febris apud nos seges, vt per vrbes et per agros, iisdemque in domiciliis, plures simul correpti fuerint, quantam refert Cl. Auctor.

Ad §. 3. Quam passus est Auctor a Puerperis, quibus in partu opem tulit, purpuram, sudori acri, ex sanguine parturientis feruente attribuenda fuit. Quia autem neruis eius se insinuauit, ideo illa passus est symptomata. Sic qui anthraces tractant Chirurgi interdum iisdem afficiuntur, communiter tamen leuiter, per externum contagium.

Ad §. 4. Maritum, et vxorem, abortu liberatam, simul, eodem tempore, et eodem in cubiculo, purpura laborasse, euidens docet contagium.

Ad

Ad §. 6. Verno tempore, cum febres intermittentes nobis ſunt familiares, etiam apud nos vigent.

Ad §. 8. 9. Anxietas, et irrequies incredibilis, cum languoribus primaria ſunt ſigna acceſſurae febris miliaris; neruorum ex conſtrictione, vel atonia circa diaphragma promanantia.

Ad §. 11. 12. Obnoxii ſunt hiſce oppreſſionibus, languoribus, ſtrangulationibus hypochondriaci, et hyſtericae, neruorum turbis multum vexatae, et licet petechias ſaepe comitentur anxietates, et pectoris oppreſſiones, (non aeque tamen morbillos, variolas, febrim ſcarlatinam, aliaſque exanthematicas) attamen, quas patiuntur aegri in febre miliari anxietates, maiores ſunt, et fontem ſyſtematis neruoſi magis colludere indicant, ſimulque neruorum ſuccum magis laborare, quam ſanguinis temperiem, extra dubium ponunt.

Ad 15. 16. Hunc horrorem, mox, et immediate partum inſecutum eſſe ſaepe obſeruaui, abſque inſequente purpura. Originem ſuam partim, a refrigerio ſub partus laboribus perpeſſo, partim ex commoto ſub partus labore ſyſtemate neruoſo habet.

Ad §. 17. 18. Debilitatem magnam indicant ſudores ſpontanei, nec lecti calore, nec medicamentis eliciti, et ideo male ſemper calido regimini adſcripti. In neruis autem haeret debilitas: haec audiat τὸ malignum.

Ad §. 27. Specialis hic odor forſan volatilitati ſucci neruei tribuendus eſt.

Ad §. 28 29. Variat certe eruptio ſecundum diuerſum vitii fomitem, et praecipue ſecundum aegri conſtitutionem: ideo criſeos naturam raro induit iuſtam Ordine maxime incerto erumpunt.

Ad §. 31. Tantum interuallum in vnica femina, quam ſupra adduxi, quae abortum trigeminorum fecerat, vidi: cuius febrim etiam neruoſam appellaſſe iuſtum fuiſſet.

Ad §. 34. Vbi larga excretio, ibi raro ſimul et ſemel excernuntur; ergo nec ſimul et ſemel matureſcunt. Citius ſe inſequuntur morbilli et varioli, et illis familiarior eſt ſaliuatio, tumori genarum, et glandularum ſaliualium debita.

Ad §. 36. Primarium ſane ſit hic opus ataxiam neruorum in ordinem redigere.

Ad §. 39 - 45. Reſpiciendum eſt in his ad fabricam ſyſtematis neruoſi feminini, quod magis viuax, irritabile et ramificationibus neruorum magis repletum eſt, quam illud maſculorum. Hinc et mares temperamenti feminei vehementius hac febre laborant. Cur autem puerperis id fiat vide Cap. IV. §. 13. Praeterea febricula ad mentem Auctoris, qua laborarunt grauidae, et illa, ſub partu, protracto enitendi labore, defatigatio, magnam ſane diſpoſitionem ad febrim miliarem parauerunt. Inde itaque ſyſtema neruoſum non ſolum valde labefactatum, ſed et fluidum nerueum intemperie p. naturali affectum eſſe ſentias.

Ad

Ad §. 48. Quando haec ſymptomata loca occupant varia, non decubitui materiae malignae hoc attribuendum eſſe autumo, ſed ſpaſmo nervorum, hunc, vel illum locum magis occupanti. Si autem forſan diarrhaea accedit, id per atoniam inteſtinorum contingit. Quod vterum ſpecialiter obſideat hoc vitium, et quod obſtructio, phlogoſis, et infinita malorum caterua inde generetur, de hoc dubito: ipſas ſtrangulationes et lypothymias vtero etiam attribuere nequeo, ſed ſpaſmo neruorum meſentericorum, conſentientibus licet vterinis.

Ad §. 51. 53. Non delituit, meo iudicio, materia puſtularum in venis, et quando natura ſuccumbit, ab exhauſtis et ſuccumbentibus neruis ſuccumbit, id quod Apoplexia et Syncope, vitae filum ocyus abrumpentes, euidenter produnt.

Ad §. 61. 62. Idem me ſentire innui; nec ſub magna excretione puſtularum res aegri ſaluas eſſe; deliteſcat in venis adhuc copia ſeri acris, vel non: modo materiae halituoſae p. naturalis copia in neruis non reſtet, ex qua res male cedat.

Ad §. 67. Sufficiunt ſudores frigidi, cum pulſu vacillante, abſentibus licet reliquis malis ſymptomatibus, rem peſſum iri indicantes.

Ad §. 68. 69. Haec, talia, dolores et tumores crurum, etiam abſente purpura, puerperas aliquando infeſtant.

Ad §. 75. Omne inopinatum delirium, cum vigiliis, febre nullatenus mitigata, ſuſpectum eſt. Somno autem interpellatum, et leue, nil portendit periculi.

Ad §. 85. Sedata febri, res omnes in ſaluo ſunt. Si ratio adeſt aluum ſubducendi, clyſmate emolliente, nil periculi ſuberit.

Ad §. 88. Abſentibus licet pectoris oppreſſionibus, anxietatibus, obſcuro, et frequente pulſu, purgantia, quouis morbi tempore exhibere non ſim Auctor: vires enim vacillantes deſtruunt, et diarrhaeae intempeſtiuae periculum inducunt. Conf. Cap. III. §. 11. Proſper ſit ſemper ſucceſſus!

Ad §. 49. Licet incommodum videatur Cel. Auctori, venam, malo inuadente aperire, vbi etiam vires id ſinunt, quum res, nullo ſanguine detracto plerumque feliciter peracta fuerit, tamen retentis lochiis, vicarium auxilium per venaeſectionem eſt quaerendum, et in febribus inflammat.

Ad §. 97. Veroſimillimum eſt imbecillitatem pulſus ex ſpaſmo cordis naſci, et arteriam ex hoc ſe explicare nequire. Deteruntur eo magis cordis vires, et faciunt ſic rem valde dubiam et formidabilem.

Ad §. 98. Veriſſimum effatum. Symptomatum magna habenda eſt ratio.

Ad §. 100. Commendata hic venaeſectio videtur §pho 94. contradicere.

Ad

Ad §. 111. Purgantia hic dissuadentur, nisi vrina concocta etc. Conf. §. 88.

Ad §. 113. Quibus instante partu, vti solet, sponte laxatur aluus, illis non opus erit commoventibus. Melius etiam erit, quando aluus sua sponte non laxatur, illam leui dosi Aloës, instante partu subducere, quam a partu. Conf. C. VII. §. 4.

Ad §. 119. Fauet etiam viribus, nec non spasmi remissioni lectis tepor.

Ad §. 120. Deficientibus ad respirationem viribus, et sanguine existente vappido, commotio corporis respirationem intendens, non solum lypothymias, sed syncopes lethales, vti in scorbuto, improuisam saepe aduocat mortem.

Ad §. 122. Infusa calida, herbis aromaticis et quouis spiritu volatili alcalino, grato, grauida, affatim potare, non sim Auctor. Quantumuis enim ad vires fulciendas apta esse videantur, attamen sudor inde proueniens effusissimus illas magis destruet. Ad eliminandam, pro hypothesi, peccantem humorem tepida sufficerent, quin frigida, non tamen auide pota, sed pedetentim, in copia sorpta. Τὸ *festina lente*, quod *Hamilton* in Tractatu de Praxeos regulis commendat, non tamen, respectu sudoris, obseruat, commendando infusa calida affatim pota, valde laeditur.

Ad §. 124. Pauperes rarissime hoc morbo defoedantur, quia neruos possident temperiei stabilioris. Interim nec Caffee, nec Thee potus vnquam

quam cauſae fuerunt purpurae albae. Chinenſium enim et Turcarum foret morbus endemius antiquus: quin etiam in Europa iam inter plebem graſſans, quod tamen non eſt.

Ad §. 127. A priori quidem Caffee, ceu vſtulatum quoddam, lochia cohibere poſſet, potu non exiſtente limpido, et granis vſtulatis admixtis in puluere. Verum, ipſae puerperae, ob magnam neruorum in primis diebus ſolitum languorem hunc potum non ſollicitant; robore autem neruis aliqualiter reddito, empyrevmatis huius titillatio et oſcillatio in neruos, illis odoratu et guſtu analeptica eſt.

Ad §. 128. Ructus acidi, vomitus etc. ſtatum aegri hypochondriacum inuoluunt, contra quem, pro re nata, alcalinis, liquore nitri, pugnandum. Non autem ideo puſtulae miliares, albae et pellucidae ex prauis ſanguinis humoribus, particulis Coffee grauidis, vel aliis deducendae ſunt, alias crudiores forent effloreſcentiae, vti reuera, ſat crudae et latae, mitiſſimae tamen de reliquo, in hypochondriacis et hyſtericis, abſque febri, excerni ſolent.

Ad §. 129. 130. Deferuente febre, cochleare vnum aut alterum vini generoſi aegro non denegandum eſſe, cum Cel. Auctore quidem conuenio: aſt ſuperſedere fere poſſent tunc vino aegri, febris cum iam deferbuit. Verum, praeſente febre, vinum generoſum, vires, ſpiritusque reficiens, et ad extremitates permeans, neruos torpentes

pentes expergefaciens, frigidos fouens, madorem diffluentem coercens, animum languentem fulciens, et delirantem demulcens, (pro bella Auctoris pictura) *prouide et prudenter*, lymphatum, vel lactis ſero mixtum, per totum morbi decurſum propinare, omnino licitum, iuſtumque ſit.

Ad §. 131. Vtique ſpes conualeſcentiae, aegris omnibus, inprimis autem meticuloſis, ſemper facienda eſt. Sint autem crocus, caſtoreum, vinum, et ſuccinata, vtpote phyſice in neruos operantia, prudenter adhibita, illi ideali medicinae, auxiliaria.

Ad §. 136. In febribus, vbi vigiliae, et inquietudines peſſima inducunt mala, nil praeſtantius ſomno, modo tuto fieri poſſit, addit Auctor. Veriſſimum hoc eſt; et quaerere licet, quam ob rationem, in hoc morbo, non modo pari, ſed potiore iure, quam in multis aliis, opiata, tuto, feliciterque exhiberi poſſint; cum ſomnus multus tantam hic polliceatur ſecuritatem. Poſſunt itaque dari, ſed manu ſuſpenſa, et ſub veſicatorium, et pro re nata venaeſectionis, vel haemorrhagiae narium ſocietate. Multus ſomnus autem non ſemper dat certam, ſed malefidam ſecuritatem. Cum tetano oris coniunctis miliis largiter adhibitum opium vidimus, Cap. IV. §. 17.

Ad §. 145. 146. 147. Veſicatorium non iniuſti Buccinatores. Interim ex illis non ſemper deſideratum auxilium. Vires illis vnice datae, mediante

diante inflammatiuncula cutanea, tonum neruorum et vaſorum ſuſtentandi, quin augendi. Quod enim ſeri feruidi educunt, certe parum eſt. Quae, in ſequente §pho 150. in ipſa diarrhaea, praeter rhabarbarina, et alimenta gelatinoſa, ſuris applicanda commendantur veſicatoria, ob ſympathiam, quam habent cum inteſtinis, aliisue imis partibus, in hoc cum ſuppedalibus conueniunt, quae etiam neruorum ſuperiorum excitant conſenſum. Interim, ſi complicita iudicatur inteſtinorum inflammatio, veſicatoria in cruribus abſint.

Ad §. 148. Periculum, quod diarrhaea inducit, non adeo in materiae cuiusdam acris, per cutim excernendae retroceſſione, quam in deſtructione virium per euacuationem humorum, tam malorum, quam bonorum, mediante atonia inteſtinorum, excretorum, verſatur: niſi per alleviationem, vel virium conſtantiam, appareat eſſe critica.

Ad §. 152. Dolorem vel tumorem extremorum in febre miliari obſeruaſſe non memini. In principio morbi leuior crurum ſpaſticus dolor adfuit.

Ad §. 159. 160. Subſcribo legitimis et iudicioſis §§phis, de obſeruando typo febris intermittentis miliaris.

Ad §. 161. Febris neruoſa cum puſtulis miliaribus diu protractis, Clar. Auctori forſan eſt febris cum excretione miliorum rubrorum. In purpu-

purpura ſic dicta alba, puſtulae diu protrahi non ſolent. Rarum enim eſt exemplum, quod ſupra de femina trigeminos abortiente attuli. Excernuntur die 5to, 6to, 7mo, 8vo, vel ſerius. Vbi autem, pro hypotheſi, excretio peripherica exſpectanda, et ſimul diarrhaea timenda eſt, annon arduum et temararium foret, colluuiem humorum morboſam, per inteſtina et aluum, per ſe, ſaepe nimis mobilem pellere. In principio morbi excrementa blandiſſime euocare vtile eſt.

Ad §. 162. Orexi, ſi fides, diaeta ſit tenuiſſima: excluſis gelatinis carnium, per coctionem, omni ſale volatili priuatis. Conf. Cap. V. §. 7.

FINIS.

